




# **Henrici Rantzouij equitis Holsati de conseruanda valetudine liber,**

<https://hdl.handle.net/1874/437261>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnde
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

0 oct.

92

U.B.U.



1800  
1800

92





Medici

enī ar quo. Octavo n°. 92.  
teūr. c. iii.  
enī. p̄ i sufficiētā debet  
altas et magis. p̄ i sufficiētā  
dēfessionib; et medias. l. ii.  
is repellit. r. q. i. s. ecce. es  
orūtis t. l. ii. t. sic bñ deb;  
uto modo. item. p̄ i sufficiētā

De suppledā

toni. pastorar. f. i. deh  
que adeos pleno ubi  
bent ip̄s presentari  
ub; exhibeant ip̄m  
same. et. c. statuend  
xvi. q. ii. c. i. f. i. te p  
quod nō licet. decens  
te teo seruue. quia

.xli.


enī ep̄is. ab eo excep̄tū  
ecti filii quenā māistri.  
c. vi. i. mediate adroma  
nētis ectām i. itinārit qd  
orum sentiens sentiens  
ficiente om̄i vaginmis ab  
essit i. mamb; corundem  
dōp̄ māichum. S. sc. uic  
mōntē elegim̄t i. altem  
m̄ igitur dittus altas ce  
re licentia mā nequunt  
fessionem quam elationē  
as tēternentes uritas et  
ay. q. altam ip̄m loco


psonas. quim pod  
cessioms quorū  
tios i. eis p̄ sua i. sti  
uoluntate admir  
nib; onerantes q  
competenter possin  
mīia teseruue.  
br; respondē ncel  
sicut conuenit tā  
impantū nolent  
etē debitis et an  
isolentiam subu  
nisi auisidion  
sunt etē simzadic

88

Universitätsbibliothek

Utrecht





N. 73. C.

HENRICI RANTZOVII  
E Q V I T I S H O L S A T I  
D E C O N S E R V A N D A  
V A L E T U D I N E L I B E R , I N  
priuatum liberorum suorum usum  
ab ipso conscriptus, ac  
editus à

Dethleuo Syluio Holsato.

I N Q V O D E D I A E T A , I T I -  
N E R E , A N N I S C L I M A C T E R I C I S  
& antidotis præstantissimis, breuia &  
utilia præcepta continentur.



L I P S I A E .  
C V M P R I V I L E G I O .

THE KUHLICKE LIBRARY

1870-1871

ANNUAL REPORT

TO THE BOARD OF TRUSTEES

OF THE KUHLICKE LIBRARY

FOR THE YEAR 1870-1871

BY JAMES KUHLICKE, DIRECTOR.

CHICAGO, ILLINOIS.

1871.

PRINTED FOR THE DIRECTOR.

BY THE KUHLICKE LIBRARY.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

1871.

**N O B I L I T A T E**  
G E N E R I S , V I R T U T E A C  
E R V D I T I O N E P R A E S T A N-  
T I B . F R A N C I S C O A C B R E D O N I  
R A N T Z O V I I s fratribus, nobilis ac  
generosi viri D. H E N R I C I R A N T Z O-  
V I I , serenissimi regis Daniæ , &c.  
in Holſatia , &c. p r æ fecti , &c.  
filijs.

V M N V P E R N O B I-  
les adolescentes , in pa-  
**C** tris vestri Henrici Rant-  
zouij bibliotheca Bre-  
denbergensi versarer ,  
incidi fortè in libellum quempiā de  
legitimo rerum ad sanitatis tutelam  
necessariarū vſu conscriptum. Hunc  
vbi cœpi per ouluere diligentius , de-  
prehendi in eo breuia ac vtilia quæ-  
dam p r æcepta de sanitate tuenda  
contineri. Ac quoniam intelligebam  
hunc libellum à patre vestro ex va-  
rijs medicorum libris in vestrum ac  
reliquorum liberorum suorum vſum  
collectum ac nondum in publicum  
emisum esse , neq; tamen citra magnū

A 2 labo-

## E P I S T O L A

laborem & tædiū sœpe describi posse: operæ pretium me facturum putabam, si cum quamprimum prælo subijci curarem, vt hoc pacto non solū de vobis, sed de alijs etiam conseruandæ suæ sanitatis studiosis bene mererer. Hunc itaq; librum à parente vestro charissimo, vestra potissimum caussa, ex paterna affectione congestum, ac sub nominis vestri auspicio in lucem prodeuntem, vt benignè suscipiatis rogo. Nec dubito quin si iuxta in hoc præscriptum modū viuendi rationem institueritis, magna inde ad vos sit redundatura vtilitas. Oro autem D E V M æternum, vt patrem vestrum virum clarissimum, totius Holsatiæ decus ac præsidium, & omnium bonarum artium Mecœnatem, nec non vos eius filios, qui patris vestigijs magna cum laude insistentes ad insignem stemmatis Rantzouici splendorem eximiam adiunxitis doctrinam, vnâ cum matre nobiliss. ac pudiciss. & reliquis

D E D I C A T O R I A.

quis vestris fratribus ac sororibus  
diu in columnes clementer conseruare  
dignetur. Bene valete, & me eorum  
numero asscribite, qui vos non mi-  
nus quam parentes vestros, ea qua  
decet obseruantia, venerantur. Da-  
tæ Segebergæ, Anno 1573.

Detleuus Syluius  
Holsatus.



Parte rubet dextra clypeus : pars alba sinistra est,  
Et super in galea cornua bina micant.

Cornua sunt robur : Martis color alter, & alter  
Pacis : vtrungq; satis nobilitate decet.

IN HENRICVM RANTZO-  
uium Equitem Holsatum, &c. Epigramma  
*synapnicas iux.*

QVIS non Alciden nouit, quis nescit Achillem,  
Nomina non vlla non memoranda die?  
Et tamen hic medicam fecit feliciter artem,  
Sanus ut Aemonia cuspide Mysus ait:  
Ille polum ceruice tulit, cum sidera fessus  
Amphitryoniadæ ferre dedisset Atlas.  
Quid loquar amborum geminata laude celebrem,  
Illustri Henricum stemmate Rantzonium?  
Quem iuuat immenso spatiante viuere celo,  
Et stellas oculis dinumerare suis.  
Quiq; Machaonia caput extulit inclutus arte,  
Naturæ scrutans omniparentis opes.  
Macte noua virtute heros: sic additus astris  
Celer est, semper viuit & Aeacides.

Gregorius Bersmanus  
Professor Acad. Lips.  
publicus.

E I V S D E M R A N T Z O V I I  
E N C O M I V M .

Sunt tibi cum Regum, tum publica commoda cura  
Nec tamen Aonidum munera grata minus.

—Остакъ я възмѣтъ възмѣтъ възмѣтъ  
възмѣтъ възмѣтъ възмѣтъ възмѣтъ възмѣтъ

A D L E C T O R E M B E-  
N I G N V M C H R I S T O P H.  
Kellinghausen Hamb.

**M**Ente nihil nobis præstantius optimus autor  
Indidit, in summa quæ tenet arce, locum.  
Hæc res euoluit dubias, penitusq; latentes  
Eruit, & lucem cogit habere suam.  
Quæ sint euentura videt, præsentia tractat,  
Tempore quæ lapsu præterière, tenet.  
Quin etiam terras humilemq; relinquere mundum,  
Et celi superas audet adire plagas.  
Scrutarig; Deum, cuius de semine nata  
Particulam mentis se putat esse sacrae.  
Vt Deus ille vnum triplici sit nomine numen,  
Disiungi nulla quod ratione queat.  
Vt res de nihilo quondam produxerit omnes,  
Et miris seruet contineatq; modis.  
Vtq; repurgatos celso dignetur olymbo,  
Quos sua culpa stygis fecerat esse reos.  
Talia diuino meditatur acumine, quæq;  
Præterea longum cuncta referre foret.  
At nisi sit corpus bene sanum, cuius in arce  
Clauditur, officium non satis ipsa facit.  
Hinc quasi de specula semper circumspicit alba  
Ne capiat, vel agat quicquid obesse potest.  
Et si quid vitij causa quacunq; subortum est,  
Hoc amoliri qualibet arte studet.  
Hinc etiam corpus cura maiore tueri  
Cernimus, ingenio qui meliore valent.  
Nam quoniam multis obnoxia casibus, atq;  
Sæpe leui ex causa vita caduca data est.

A D L E C T O R E M.

Quam decet, ut numen celeste colatur honore,

Ducere, dum repeat, qui dedit, ipse Deus :

Nos quoq<sub>3</sub> sollicita fas est defendere cura,

Nec temere mortis precipitare viam.

Hec animo voluens, vir factus clarus & ortu

Rantzenius, præsens hoc sibi scripsit opus.

Non satis est visum prælustre relinquere nomen

Quod certent meritis amplificare suis.

Aut terris, opibusq<sub>3</sub> suos extollere natos,

Attribuit larga quos bonitate Deus.

Sed quoq<sub>3</sub> succincto voluit prescribere libro,

Incolumem vitam qua ratione parent.

Nam magis accendunt, animisq<sub>3</sub> tenacius harent,

Quæ pater aut senior iussa relinquit avus.

Hunc in priuatum quamvis congeserat usum,

Non tamen, ut fiat publicus, ipse vetat.

Namq<sub>3</sub> bonus, quacunq<sub>3</sub>, potest, prodeesse laborat,

Omnibus & præstat commoda multa lubens.

Ergo illi seros, quos virtus rara meretur,

Et faustos optes, lector amice, dies.

Atq<sub>3</sub> hoc sincero, doctoq<sub>3</sub> fruare labore,

Vt vigili cura sanior esse queas.

IN-

INDEX P R A E C I P V O-  
R V M C A P I T V M H V I V S  
L I B R I.

- 1 Præfatio Henrici Rantzouij ad filios.  
1 Causæ corruptionis & destructionis corporum  
humanorum.  
2 Præcepta generalia conseruandæ sanitatis.  
3 Præcepta specialia conseruandæ sanitatis.  
4 De Aere.  
5 De Aquæ.  
6 De igne.  
7 De cibo.  
8 De potu.  
9 De motu siue exercitationibus corporis.  
10 De quiete & otio.  
11 De somno.  
12 De vigilia.  
13 De excretione in genere.  
14 De sectione venæ.  
15 De cucurbitulis.  
16 De hirudinibus.  
17 De purgationibus & clysteribus.  
18 De vomitu.  
19 De vrinæ excretione.  
20 De sudore.  
21 De balneis.  
22 De Venere.  
23 De inedia.  
24 De retentione.  
25 De perturbationibus seu affectibus animi.  
26 Præcepta quædā de diæta singulis dieb. seruanda.  
27 De diæta singulis septimanis instituenda.  
28 De diæta singulis mensibus seruanda.  
29 De quatuor anni temporibus.  
30 De Vere.

- 31 De æstate.  
 32 De Autumno.  
 33 De hyeme.  
 34 De anno in genere.  
 35 De annis climactericis.  
 36 De ratione viëtus in itineribus & profectionibus probè insituenda.  
 37 Præcepta contra iniuriam frigoris & remedium ad curandam ambustionem.  
 38 Descriptiones medicamentorum quorundam ad vulnera externa curanda vtilium.  
 39 Præcepta contra calorem & sitim.  
 40 Præcepta contra famem.  
 41 De nausea marina.  
 42 De haustu aquarum.  
 43 De eruptione sanguinis ex naribus.  
 44 Præcepta aduersus alui fluxum.  
 45 Contra ardorem stomachi.  
 46 Contra arefactionem linguae, quæ dicitur vulgariter Brunella.  
 47 De ebrietate.  
 48 Descriptiones nonnullorum medicamentorum & antidotorum contra venena.  
 49 De peste.  
 50 Descriptio stibij præparati, & de eius usu.  
 51 Antidotus Saxonica contra venenum.  
 52 Antidotus Nicomedis regis contra venena.  
 53 Medicamentum Christiani i i i. regis Danicæ contra morbum caducum.  
 54 Syrupus S. Ambrosij.  
 55 Capitulum primum Cornelij Celsi, quemadmodum sanos agere conueniat.  
 56 Conclusio.

P R A E F A T I O   A D  
F I L I O S .

CVM ab immenso & æterno Deo , filij  
mei charissimi , post creationem cœli ,  
terræ , plantarum , arborum , cunctorumq;  
animantium & cæterorum mundi corpo-  
rum in usum humanum conditorum , so-  
lus homo ad diuinæ maiestatis imaginem  
ex terra sit factus , ita ut ex anima & cor-  
pore constet , maximè & in primis toti hu-  
mano generi in eo laborandum esse cen-  
seo , primum ut anima , postquam una cum  
corpore destinatum cursum peregerit ,  
eò , vnde digressa est , redeat . Deinde , ut  
corpus animæ domicilium in hoc vitæ  
curriculo quam diutissime cum ipsa sa-  
num ac integrum conseruetur . Quibus  
verò rationib. efficiatur , ut anima emen-  
so decursioq; huius vitæ spacio , ad beatam  
immortalitatem , hoc est , ad Deum ip-  
sum , vnde digressa est , reuertatur , id sa-  
cræ literæ abundè & luculenter tradunt .  
Quapropter ô filij , vos sedulò moneo &  
hortor , sacro religionis studio ardenter  
incubentes , doctrinæ cœlestis funda-  
menta intimis animi sensibus diligenter  
& penitus percipiatis , vt vobis ex huius  
vitæ quadam quasi peregrinatione atque  
hospi-

hospitio euocatis ad perpetuum Dei & angelorum, omniumque sanctorum commercium concedere liceat. Quo pacto autem fragile corpus nostrum diu incolume & sanum conseruetur, & caduca nostra vita, viriumque imbecillitas aliquantis per sustentetur, per breuibus nonnullis praeceptis, hunc in usum ex diuersorum medicorum libris conscriptis, atque in certum ordinem digestis docebo. Sed ne forte arrogantiæ ingenij insimuler, ingenue fateor, me multis in locis integras medicorum sententias translatisse, & vestra potissimum cauſa hunc laborem colligendi suscepisse, quod non meminerim, hanc rem tam compendiosè ab alijs tractatam esse, excepto uno Cornelio Celso, qui in primo de re medica libro præcepta longè utilissima de sanitate tuenda, mirabreuitate complexus est. Ut autem huiusmodi breuitatem eò commodius præstem, nuda saltem præcepta ætati vestræ maximè congruentia fusioribus interim cauſis & rationib. physicis omissis, vobis ob oculos ponam. Nolite vos hac aspernari, sed tanquam vobis à me ex paterna benevolentia atque affectione relicta cupide suscipite, studioseque amplectimini. Non enim dubito, si secundum has præscriptas obser-

obseruationes viuendi ordinē atq; ratio-  
nem instituetis, quin magna ad vitam  
commodius traducendam inde sit ad vos  
redundatura vtilitas. Quod ad me sanè  
attinet, fateor me ex his præceptis hanc  
percepisse vtilitatem, vt quamvis in iuue-  
nilibus annis paterno ac ferè hæreditario  
asthmatis morbo obnoxius fuerim, nunc  
tamen sic eo sim liberatus, vt valetudine  
satis commoda vtar, quam Deus Opt.  
Max. pro diuinæ benignitatis stæ arbit-  
trio ac placito, mihi diuturnam conserua-  
re ac propagare clementer dignetur. Ut  
autem proprius ad rem ipsam accedam,  
paucis ordine præcipuas recensebo cauf-  
fas destructionis & corruptionis corporū  
nostrorum, quibus cum humana natura  
conflictatur. Deinde ea, quorum legitimi-  
mo vsu in corporibus nostris sanitas reti-  
netur, exponam. Postea præcepta de vitæ  
ratione singulis diebus, septimanis, men-  
sibus, singulisq; anni temporibus feruan-  
da, deque annorum etiam climaæterico-  
rum obseruatione instituenda pauca sub-  
ijciam. In fine quædam de salubri victus  
ratione in itineribus habenda, nonnullo-  
rum item antidotorum & medicamento-  
rum singularem contra venena vim ha-  
bentium descriptiones subiungam.

## CAP V T I.

CAVSSAE CORR V PTIONIS  
& destructionis corporum huma-  
norum.

**V**T igitur institutum nostrum aggrediamur, prima & præcipua causa corruptionis & destructionis corporum nostrorum, senectutis, mortis, atq; omnium adeo malorum, quæ in calamitosa hac vita existentes, perpetimur, est lapsus primorum parentum & reliquæ peccati in corrupta natura nostra hærentis, ut testatur apostolus ad Rom. 8. Corpus morti destinatum est propter peccatum. Quemadmodum enim mors extremum est omnium malorum, quæ nos affligere in hac vita possunt: Ita mortis nomine omnes quoq; ærumnas & miserias humanæ vitæ complectimur. Huc accedunt nostra etiā errata, quæ, dum cæca nostra voluntas impulsu diaboli in quævis scelera ruit, indies à nobis committuntur & accumulantur, quibus Deus ad iustum iram & indignationem prouocatus, omnis generis morbos & calamitates in nos grassari sinit. Secunda caussa morborum & destructionis depravationisque corporum nostrorum est sinister & malevolus side-

rum

rum cœlestium influxus, temperamento-  
rumq; infelicitas. Nam vti singulis rebus  
proprietates certæ sunt ingenitæ, quas  
Deus ab æterno naturalibus effectibus co-  
optauit: Ita singularis quoq; efficacia &  
vis diuinitùs insita est corporibus cœlesti-  
bus, quæ Deus non tantum propterea cer-  
to ordine ac magnitudine creavit, vt an-  
nos, dies & menses discernerent, sed vt  
essent quoq; nobis signa, ex quibus qua-  
dam rerum futurarum caperemus argu-  
menta. Pendent enim inferiora ex supe-  
rioribus, & cognitione quadam mutua in-  
ter se continentur. Proinde corpora supe-  
riora occultam quandam vim & virtutem  
in hæc inferiora infundunt, per quam hu-  
mores in corporibus nostris mutantur,  
augentur, & diminuuntur secundum si-  
derum positū & qualitatem. Et hoc quo-  
tidiana experientia, certissima rerum o-  
mniū magistra, clarus euidentiusq; docet,  
quam vt vlla demonstratione egere videa-  
tur. Si quis fidem dictis adhibere noluerit,  
Lunam mihi consideret, quæ in humores  
præcipue sibi dominium vendicat, & aper-  
te conuincetur. Cum igitur constet hu-  
mores in corporibus nostris regi ab istis  
superioribus, ex malis autem corporum  
humoribus oriri morbos, ex morbis inte-

ritus, non immerito sane mortis & cæterorum morborum causa in corpora cœlestia aliqua ex parte refertur.

Præter hæc autem, alia sunt duo genera causarum corpus nostrum mutantium ac destruentium, quæ ex superioribus oriuntur.

Alterum quidem est earum, quæ nobis sunt congenitæ, ideoq; internæ dicuntur, necessariæ atq; inevitabiles. Suntq; numero tres: Siccitas nimirum, quæ aetatis cursu ad interitum ducit: Assidua substantiæ fluxio, vel materiæ in corporibus ingens varietas & mobilitas, excrementorumque abundantia. Alterum verò earum, quæ extrinsecus incident, & idcirco externæ dicuntur, quarum item duplex est ratio. Nam quædam sunt earum, quæ nō necessario corpus nostrum immutant, afficiuntur. Nam etiamsi minus ipsa quoque cum accidunt, à nobis vitari possint, attamen sunt huiusmodi, vt simpliciter absq; ipsis vita seruari nostra queat, cuiusmodi sunt quæ corpus nostrum contundunt, diuelunt, vulnerant, quod pleruncq; fit per externam vim, vt in bellis & casibus fortuitis: Aut cum quis in aquis submergitur, aut veneno necatur.

Aliæ autem sunt, quæ corpus humanum necessa-

necessario alterare dicuntur, quod eas etiā particulatim vitare possimus, in vniuersum tamen declinare nequeamus, cum si ne ijs viuere haud liceat. Hæc inquam hominis temperamentum ac constitutionem naturalem sanitatemque destruunt ac demoliuntur, ubi non probe, nec ut necessitas, statusq; corporis exigit, cum idonea ac commoda mensura & qualitate adhibentur. Versantur autem circa hæc, quibus quotidie utimur & nutrimur, quæq; nostro corpori assimilantur, suntq; particulatim consideratae in nostra potestate atq; elezione positæ. Harum sex sunt genera:

i. Aër, aqua, ignis.

ii. Cibus & potus, seu omnia ea, quæ nutriendo corpori adhibemus.

iii. Motus & quies, tum vniuersi corporis, tum singularum eius partium.

iv. Somnus & vigilia.

v. Excretio sive expulsio excrementorum & retentio, sub quibus venæ sedatio, purgatio, vomitus, excretio urinæ, sudor, balnea, venus & alia continentur.

vi. Animi symptomata, perturbations, affectiones, sive accidentia, vt sunt timor, ira, mœstitia, gaudium & similia. De quibus paulò post plura.

Hæc rectè & oportunè administrata,

hominem in bona dispositione & valetudine conseruant, perperam autem usurpatā destruunt. Ut enim sanitas in mediocritate consistit, ita mediocri quoque rerum necessiarum usū conseruatur.

## C A P V T I I .

G E N E R A L I A P R A E C E P T A  
conseruandæ sanitatis.

**E**N V M E R A V I vobis præcipuas causas ex quibus variæ mutationes, destrunctiones, & corruptiones corporum nostrorum oriuntur: Iam ex aduerso referam quoq; ea, quibus si dextro ordine & modo utamur, incolinitas vitæ continetur, amissa restituitur, nonnullaque morborum genera minuuntur ac depelluntur.

Ad hanc igitur rem, primò necesse est, ut sciatis, certoq; statuatis, tametsi corpora cœlestia arcanam quandam vim & virtutem admirabilem in rebus humanis exerceant: Deum tamen omnipotentem, uniuersæ rerum naturæ opificem & architectum, vitæq; & mortis Dominum, atq; arbitrum unicum, propterea à gubernatione corporum inferiorum nequaquam esse remouendum, sed verè eum omnib. astris astrorumq; influxibus dominari, eorumdemq;

demq; cursum & efficaciam, vel promouere, vel impedire, omnes item inclinaciones ab astris ortas moderari, morbosq; sapientum secundum immensam suam bonitatem auertere & in melius mutare, nonnunquam etiam secundum arcanum & iustum iudicium suum propter delicta nostra exasperare & in peius conuertere.

Divina enim maiestas non est astris, quæ ipsa ad utilitatem & conseruationem generis humani condidit, astricta, nec fatali quadam necessitate, veluti carcere clausa tenetur, sed liberrime agit, & ut præcipua causa cæteras omnes liberrimè moderatur & gubernat. Is igitur Deus aternus pater clementissimus Domini nostri Iesu Christi, qui Regi Sedechiaæ peccanti vitam quindecim annos prorogavit, assiduis precibus in primis est implorandus, ut nobis quoq; longitudinem vitæ cum incolimi & recta corporis constitutione & sanitate largiri, viresq; tum corporis tum animi integras & firmas clementer conseruare dignetur. Rectè enim dicitur: Astra valent aliquid, plus pia vota valent. Item: Astra regunt homines, sed regit astra Deus. Item: Cedunt astra Deo, precibus Deus ipse piorum.

Deinde, cum propter nostra peccata

crebris & varijs morborum generibus, corpora nostra afficiantur, obnoxè contendendum est, vt ratione regamus inclinationes & motus animorum vagos, extensisq; membris frenum injiciamus, nec tantum scelerata, verum etiam occasiones scelerum fugiamus & vitemus. Hanc diligentiam adhibere charissimi filij in regenda vita & moribus, ac in primis pietatem colere, debitamq; parentibus obedientiam & amorem praestare vos decet. Quod si feceritis, Deus vobis vicissim, sicut in decalogo promisit, omnem felicitatem, diuturnitatemq; vitae tribuet. Nam ut verissime D. Paulus inquit: 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis est, habens promissiones presentis & futuræ vitae. Quod aliquo modo intellexit homo Ethnicus Zoroaster rex Bactrianorum, cum dicit: Qui mentem ardenter ad opus pietatis intenderit, labile corpus setuabit. Et Cicero inquit: Pietatem esse matrem & fundatum omnium virtutum. Secundò, cum dictum sit, stellas esse causas effectrices destructionis & mutationis, variorumque morborum in corporibus nostris, cumq; obseruatio effectuum coelestium non sit prohibita, hanc curam vobis mandatam esse volo, vt tam directiones annuas,

quam nativitatis vestræ figuræ, quas ego diligenter & exactè computatas singulis reliquo, citra tamen omnem superstitionem, examinetis, iudiciumque peritorum astrologorum & medicorum super ijs consulatis, ut cō melius mala præuisa euitare, bona verò ad optatum euentum perducere queatis. Verum enim est, quod asserunt nonnulli, cœlum esse fatalem picturam in cœlesti tabula. Et per pulchritudinem aiunt Hippocrates & Galenus principes medicorum, medicam artem sine fauore cœlesti sāpe esse inanem, imo etiam sāpe noxiam.

Prodest hæc obseruatio ad tuendam bonam valetudinē & præcauendos morbos. Inspecta enim naturali inclinatione, maiori vigilantia mores poterunt regi, & euentus, de quibus ab astrologis admonemur, quosq; præscimus, leuius toleramus, prudentius declinamus & euitamus, ut prouidè & discretè sine molestia transiisse videantur.

A etenim libera nobis voluntas & electio catenus relicta est, ut auxilio Dei mens fulta, aduersari illecebris diaboli & carnis, inclinationes moderari, & si quam insig- nem calamitatem aduersumue aliquem casum astra præfigant ac denuncient, eius occasiones effugere possit. Qua in re tamē

honestatis rationem à vobis haberi volo. Nam si citra ignominiam periculum impendens, subterfugere vobis minus integrum foret, satius esset honestè cito mori, quam cum dedecore diu viuere. Proinde certo statuendum est, rationem sine optimis intellectum prædominari cœlis, nec libertatem animi actionesq; nostras siderum necessitati astrictas esse.

Hactenus in genere breuiter exposui, qua ratione contra omnis generis mala, morbos, aliasq; corporum nostrorum destrunctiones præmunire nos queamus, quæ diligentia, si ardens filij Dei inuocatio ad hanc accesserit, feliciter euadit: Iam ut institutum ordinem vrgeam, ea quæ aliquo modo in nostra sunt sita industria, persequar, quorum si legitimus & rectus vlus adhibetur, sanitas fouetur & conseruatur, si minus, violatur & destruitur.

## C A P V T III.

S P E C I A L I A P R A E C E P T A  
conseruandæ sanitatis.

**V**T autem à definitione ordinar: Sanitas est cōstitutio corporis, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionib. impedimur. Si verò corpus ab illa constitutio-

tione deflexerit, ægritudo est. Sanitatem conseruare ( secundum Rasim in Almansore ) est in motu & quiete, cibo & potu, nec non in superfluitatibus & expulsionebus mensuram debitam obseruare, domos & loca cætera, in quibus versamur, odoribus pro ratione temporis congruentibus, temperare, malis etiam accidentibus, antequam augmentum capiant occurrere, & animales cogitationes & voluptates refrænare, consuetudinesq; conseruare. Cicero inquit: Valetudinem conseruari cum notitia sui corporis, tum ijs rebus, quæ aut prodesse aut obesse soleant. In quibus enim conseruatio consistit, ex ijsdem corruptio oritur: vtq; conseruatio fit per simile, sic curatio per contrarium. Paulò aliter quam nos, definit sanitatem Isodorus cum inquit: Eam esse integratatem corporis, & temperantiam naturæ ex calido & humido, in quibus cum illa consistat sequitur, qui plurimum calidi & humidi habent, hos maxime esse longæuos, qui verò contrariae sunt naturæ, frigidi & siccii, hos citius senescere & mori. Nam vt ex quatuor humoribus reguntur sani, sic lœduntur infirmi, & cū humores ultra debitum crescunt, ægritudines patiunt. Sic qui natura admodum craſi sunt, citius intereunt,

tereunt, quam graciles. Parum enim sanguinis ac spirituum habent. Sed ut ordine de singulis rebus, in quarum legitimo usu, iusta qualitate, quantitate & tempestu usurpatione, sanitatis conseruatio consistit, dicamus, ab aere corpus nostrum ambiente primum ordiamur.

## C A P V T I I I I .

## D E A E R E .

**A**ER per se est calidus & humidus, & attractio eius omnibus animantibus tam est necessaria, ut si cui respirationis vië intercipiantur, statim extinguitur. Et omnes in nobis experimur, ipsam constitutionem corporis sape mutari ex aeris vel temperie vel intemperie. Omni igitur studio prouidendum est, ut aer, quoad eius fieri potest, optimus delegatur.

Est autem optimus aer, qui vnicuique est natius. Nam vniuersusq; locus naturalis, ut Philosophus inquit, sui est locati conseruatus, præterea temperatus, serenus, purus, tenuis, patens & liber, a foetoribus immunis, nulla putredine infectus, ventisq; dissipatus, qui, cum attrahitur, sentitur, oriente sole cito calescens, eodem occidente cito frigescens. E contrario pessimus

simus ac noxius aér est, turbidus & nebulosus, impurus, fœtidus, nubilus, putridus, occlusus, quem neq; ventus neq; sol penetrat, nec purgat, qui non secus, ac immobilis aqua facile venenosam & malignam qualitatem suscipit, qui æstatis maximè tempore, lacuum stagnorumque pestiferam auram eructantium exhalationibus corruptitur, vel fœculentis excretionibus inficitur. Sic malitiosus aér est, qui ex sterquilinijs, cloacis, & locis pestiferis oritur, quicq; cor constringit, & anhelitum coarctat, & qui nimium est calidus vel frigidus. Calidus enim dissoluit, sitim generat, spiritum diminuit, digestionem abscondit. Frigidus asthmata & catharros gignit, vtq; huiusmodi aér impurus, qui spiritum vitalem vitiat, omnibus modis cauendus, sic aér temperatus maximè est hauriendus. Nisi enim assiduè bonus aér attrahatur, quo calor nativus ventilatus temperetur, refrigereturq; sanitas turbatur. Ex quibus etiam patet, satius esse subdio versari, quam cubiculis vndiq; clausis immorari.

Hoc autē obseruasse etiam contulerit, quod frigidis temporibus aëre calido, aut igni, calidis frigido, humidis sicco, & siccis humido aëre maxime uti conueniat. In diutur-

diuturnis etiam morbis nonnunquam solum vertere prodest. Aëris enim & loci mutatione sæpe sanitas amissa recuperatur. Cum verò aër sæpe à ventis & odoribus moueatur & mutetur, ventusq; nihil aliud sit, quam aër impulsu agitatorum vaporum commotus, de vento & odoramētis pauca addenda esse duxi.

### DE VENTIS ET odoramentis.

Septentrionalis omnium ventorum optimus & saluberrimus habetur. Proximum locum sibi vendicat orientalis, & quicunq; ventus aërem modicè infrigidat, siccet & serenat. Habitationes itaque versus orientem & septentrionem sint extructæ, propter aëris & venti temperiem. Nimius autem ventus obest tum pulmoni tum oculorum auriumque sensui plurimum. Quod ad odoramenta attinet, constat aërem quodammodo nutrire spiritus, citissime verò odores: cor & cerebrum corroborare, reficeretq; animum, quo refecto, corpus quoq; sentit voluptatem & recreationem.

Aër item vitiosus & foetidus per odoramenta & suffumigationes corrigitur, ac emendatur. Interest autem quamplurimum,

mum, quales hauriamus odores. Talis enim & spiritus in nobis euadit: odores nimis calidi mihi non probantur, quia caput replent & catharrum generant. Cum etenim temperies ipsa cerebri sit quasi media inter calidam & frigidam, temperatis maxime gaudet, & contra ab alijs maxime turbatur & laeditur. Quocirca sunt interdum miscendi mutandi odores, ut si regnet frigus, ad calidum declinantes, & si dominetur calor, ad frigidum vergentes attrahantur.

Ex rosis igitur, violis, Myrto, camphora nativa, Sandalis, aqua Rosarum, quae frigida sunt, rursus ex cynamomo, citro, atantio, aloë, ambra, musco, quae calida sunt, prout cuique vestrum conuenit, hau- riantur odores, neque solum naribus, sed pectori & stomacho admoueantur, quemadmodum etiam Theriaca, Mythridatum, Thus, Succinum, Angelica, & cætera, quae contra venena vim habere creduntur. Non parum quoque emolumenti ad spiritus vestros recreandos attulerit, in hortis, ubi subinde boni odores aspirant, inter vi- rentes suauiterque redolentes herbas fre- quenter versari, floresque & gramina anni tempori, temporisque constitutioni, & cor- poris vestri statui conuenienter per aream proiecere,

projicere, conclauiaq; conspergere, vt folijs salicum, rosarum, violarum, pampinis, origani, serpilli, thymi, lauendulæ, Myrtillis, cidonijs, piris, pomis arancijs, granatis, alijsq; huiusmodi, eademq; aqua rosacea, vel ex floribus aranciorum aut alia, & aceto irrorare. Nonnunquam vero in cubiculis vestris fragrantes suffitus accendantur.

Quibus postremo odoramentis, fumi-  
gijs & pilis, seu orbiculis odoratis ego uti  
consueuerim, hic subijciam, vt ijsdem &  
vos, habita tamen temperamenti vestri ra-  
tione, utamini. Cum autem non omnibus  
ijsdem congruant odores, & varia de his  
opuscula extent, circa eos, pro ratione di-  
uersitatis temperamentorum delectu ha-  
bere vtile est.

### DESCRIPTIO AQUÆ odoriferæ.

**R E C.** Aequali pondere aquam rosa-  
tam cum vino albo generoso beneq; olen-  
te, aceti rosacei quartam partem, saccari  
candidi tertiam partem: dissoluatur hoc  
in illis. Alij addunt parū croci. Hac aqua  
manus, faciem, iuncturas, oculosq; lau-  
ate, dentes purgate, vestimentaq; & cetera  
conspergite, aliquando etiā hanc deglutire  
non

non inutile est. Ut autem singulorum pondus vobis constet, rationem componendi adscribam. REC. Aceti ex vino albo rosaceo vias iiiij. aquæ rosaceæ, vini optimi odoriferi albi sing. lib. j. Croci scrupulum vnum.

Saccari candidi liquoribus debite dissoluti libram dimidiam. Croco coleretur & coletur, deturq; ad vsum.

### A Q V A O D O R A T A M O D E ratè calida & frigida.

REC. Sextarium aquæ rosaceæ, in qua per biduum steterit dimidia vncia Cinnamomi, macis drachma una, radicis violarum drachmæ 2. Cariophyllorum drachmæ 1½ Muscatæ nucis drachma i. Postquam distillaueris, adjicies parum Croci, ad quantitatem v. granorum.

### A L I A A Q V A O D O R I F E R A, mediocriter calida & frigida.

REC. Aquæ rosatæ libras 3. Recentium florum lauendulæ destrictorum manipulos tres. Recentium Cariophyllorum. Cinamomi ana semiunciam. Albarum violarum radicis, drach. duas. Macis drachmas 2. Foliorum

Foliorum siccata. Rosa. manipulum vnum.

Gummi Benzoi, aut assæ dulcis drach. 2.

Styracis calamitæ drach. 2.

Musci & ambræ ad quantitatem 2. grano.

His adde semiunciam aut integrum unciam vini destillati aut maluatici, & aquam huiusmodi radijs solaribus per integrum mensis spacium expone.

C A N D E L A E O D O R I F E R A E  
contra Venena & Pestem.

R E C. Ladani vncias tres.

Styracis Calamitæ drachmas x.

Assæ dulcis drachmas 6.

Thuris sesquiunciam.

Stæch. vncias duas.

Rosarum rubearum.

Garyophyllorum ana vncias tres.

Corticis Citri & santal. Citrini ana drachmas 2.

Granorum Juniperi semiunciam.

Ambræ & Musci ana sextam drachmæ partem.

Carbonum tiliæ sesquilibram.

Hæc omnia cum gummi Tragacant. & stillatitio rosarū mixta liquore tepida pilanterantur & in massam quandam redigantur. Inde paruæ Candelæ fingantur & len-te siccentur.

Descri-

DESCRIP TIO NODVLI  
odoriferi contra Pestem.

REC. Styracis calamitæ.

Assæ dulcis ana vnciam vnam.

Ladani.

Masticæ ana semiunciam.

Cariophyllorum.

Xyloaloës.

Santalorum Citrinorum ana drach. j.

Seminis nigellæ Romanæ drach. ij.

Cum modico Resinæ terebinthinæ Venetæ. Fiat pila odorifera sine nodulus, qui aromatizetur moschi, ambri, dissolutorum ex oleo Cariophyllorum ana granis sex.

De præscriptis autem paulo ante Candulis odoriferis, admoneo vos, accendi illas quidem in cubiculis ad usus commemoratos posse, non tamen in ijs cubiculis prius esse versandum planè, quam dissipatus fumus fuerit: qui sane capiti, oculis & puimoni nocere haud parum posset: ideoq; consulo vobis, ut potius orbiculis odoriferis, in aquam rosaceam vasculo argenteo exceptâ projectis: ipsoq; vase super candelam accensam posito, habitu inde emisso thalami aërem odore imbuiatis: atq; eo modo attrahatis, quo ego in meis cubiculis vti consueui.

C

Accidit

Accidit nonnunquam, vt plane omni  
odoratus sensu priuemur. Hoc vbi fit, gar-  
garizandum est os ruta, & hyssopo coctis  
ex aceto scyllitico, & masticanda est fre-  
quenter Zedoaria.

RATIO CONFICIENDI PA-  
stillos odoriferos Comitissæ  
Arnsburgensis.

REC. 4. vnc. Rosarum albarum, ijsq;  
folia decerpe. His in mortario terreo  
contusis, adde Benioin vnc. 2. per spacium  
24. horarum in aqua Rosarum macera-  
tas, quibus adiice Ambram ad pondus  
duorum granorum, & Moscum, ad pon-  
dus vnius grani, nec non Zeberti, ad par-  
tem quart. vnius grani. Attere hæc ad la-  
pidem, & deinde vnâ cum rosis contunde.  
Omnibus adde vnciam dimidiā saccari  
optimi. Atq; hæc ita contrita per biduum  
in mortario bene obturato sinas. Postea  
in modum massæ forma: atq; inde, effinge  
pastillos aut globulos rotundos. Admisce-  
re autem oportet nonnihil gummi traga-  
canthi, in aqua rosarum macerati, singu-  
losq;que pastillos ponere in cochlearium  
gummi draconis, vt tanto firmius coale-  
scant. Postremo, singulos pastillos duobus  
folijs rosarum inniolueret vel includere.

CAP.

## CAPVT V.

DE A Q V A.

Post aërem, ut de aqua differamus ordinis ratio exigit. Est autem frigida & humida, & non nutrit, sed medicamenti ritu refrigerat & humectat: promouetq; digestionem. Signum bonæ aquæ est leuitas & claritas. Bona item aqua est, quæ tam gustu, quam olfactu omnis est qualitatis expers, quæ per vices facile calorem & frigus suscipit, æstate frigidior, hyeme verò calidior existens, quæ deniq; hauritur ex flumine, cuius alueus est profundus, & non limosus. Probantur item aquæ, quæ in vase æneo bene expolito, nullam relinquunt maculam, & quæ sunt huiusmodi, ut legumina facile & citò in his coquantur. Aqua autem leuissima est pluvialis, subsequitur hanc fontana, deinde fluialis & putealis, postea glacialis vel niualis, ex glacie vel niue resoluta. Vtraq; harum mala est, ut & quæ in lacubus: peior tamen palustris, eò quod non moueatur, ideoq; deterrima. Atque omnino mala est omnis aqua turbida, crassa, male olens, salsa & amara.

Aqua autem saluberrima est in æstate, inde in vere & autumno, in hyeme pessima est.

C 2 Nullius

Nullius verò aquæ, siue bonæ siue mala potio salubris est vestris præsertim corporibus, quæ in his regionibus aquilonariis morbis humidioribus sunt obnoxia. Quod si tamen necessitate compulsi aquā ex illis laudabilioribus bibere cogemini, leniter prius ac lento igne eam decoquitate. Huiusmodi enim coctione & crassities aquæ tollitur, & omnis eius prauitas corrigitur.

Quo pacto aqua ad abluēdum corpus, manus, faciem, oculos, & aures, itemq; ad balnea vti conueniat, paulò post dicemus, quemadmodum & de aquis odoriferis, de quibus pauca quidem præmisimus, verum plura dicturi sumus. Non est autem huius loci, necq; nostri instituti, qua ratione aurum, argentum, chalybs, & alia metalla in aqua extinguantur, vt propriam quandam virtutem ex illis suscipiat, hic explicare. Tantum addo, homines viuacissimos, optimæq; temperaturæ esse, qui vtroq; tam aquæ quam aëris elemento probe vtan-  
tur, cibisq; optimis vescantur.

## CAPVT VI.

## DE IGN E.

**I**GNIS est calidus & siccus, optimusque est,

est, qui accenditur ex lignis siccis & odoriferis. E contrario prauus est ex lignis viridibus & graueolentibus, similiter ex carbonibus factus, qui caput grauat. Ut autem ignis moderatus vapores in cubiculis dissoluit, domestici malitiam aëris corrigit, frigus externum arcer, caloremq; naturalem suscitat. Sic nimius ignis & fumus oculos, pulmonem & caput lœdunt, fluxusq; & catharros crebros generant, humoremq; naturalem exiccant. Quocirca fugienda maximeq; detestanda est nostratum Nobiliū consuetudo, qui cum in his Holsatiæ partibus magna lignorum copia suppetat, ignem tam copiosum & luculentum extruunt, ut ipsis ferè præ nimio calore & fumo spiritus intercludatur, vtque nimium ignem disfluadeo, sic usum hypocaustarum vobis omnino interdico, ut potest ijs, qui valetudini suæ recte consultum volunt, minime probandum.

Vtimini ergo foco moderate calido, in quo Iuniperi, myrtus, terebynthum, laurus, saluia, libanotis, lauendula, ligna abiegnæ, quercina & fagina vrantur. Vitabis autem ligna, quæ prauum & grauem fumum caput tentantem, vel alicui parti corporis noxium emittunt, ut sunt populi, sambuci, brusci, mori, & spinarum omniū.

Satius autem est aliquantulum frigoris tolerare, quam tantam caloris vim sustinere, ut membra sudore guttatum cadente diffluant. Arceatur nihilominus frigus a capite, pectori, pedibus & cenuice: ut enim calor temperatus digestionem adiuuat, sic nimium frigus memoriae & reliquis membris officit. Proinde ignis, quantum arcendi frigoris & excitandi caloris innata necessitas exigit, adhibetur, caueaturque modus in alterutro excedatur. Quod ubi fit, natura laeditur. Atque haec de igne dicta sufficient.

### C A P V T VII. D E C I B O.

**C**VM abunde satis pro instituti nostri ratione de aere, aqua & igne dissertum est, nunc de cibo & potu agendum est. Cibo, quicquid siccioris substantiae effluit, quotidie restituitur: Potione vero, quicquid humidioris. Sed ratio qualitatis, quantitatis, temporis & ordinis in primis est habenda. Deligendus est igitur cibus substantia mediocris & bonum succum procreans. Nam si corrupto alimento corpus pastum fuerit, in deterius labitur.

Quippe ex boni succi cibis bonus sanguis,

guis, ex mali autem succi cibis malus generatur. Ciboru varia sunt genera. Quædam enim sunt subtilia, quædam mediocria, quædam crassa. Subtilia subtilem generant sanguinem, ut sunt pulli gallinacei bene nutriti, oua, optima frumenta, caro porcina recens.

Mediocrem ordinem obtinent, carnes agninae, arietinae, veruecinæ, vitulinæ.

Crassa profunt hominibus calidis & crebris laboribus corpus exercentibus, ut sunt bubulae carnes, vaccinæ, suillæ, leporinæ, ceruinæ aliarumque ferarum, quæ in venationibus capiuntur, & domesticis salubriores esse censemur.

Vt autem in conspectu habeatis, qui cibi facilis sint coctionis, qui vero difficilis, breuiter singulos ordine recensebo. Faciliis coctionis sunt: Vua, ficus, amygdalæ dulces, lactuca, Apium, hordeum coctum, caro porcina, pulli gallinacei, perdicces, turdi, oua volatilium, pisces saxatiles, qui in petrosis locis degunt, auiculæ, &c.

Difficilis vero concoctionis sunt: Panis azymus, faba, lenticula, cicer, cidonia, castaneæ, auellanae, oliuæ, cucumeres, caules, fungi, rapæ, caro hircina, bubula, ceruina, pisces duri & glutinosi, aues in stagnis aut paludibus, aut lacustris locis

degentes, anates, anseres, pulli columbi-  
ni, grues, pauones, cancri. Item peculia-  
res partes avium, guttur, epar, splen, re-  
nes, stomachus & intestina, venter, caseus  
tam recens quam vetus.

Lac amygdalinum cum saccaro mensæ  
familiarissimum esse debet. Item lac ca-  
prinum cum saccaro & marathro ieuno  
stomacho senibus nō male conuenit. Sac-  
carum autem per se est calidum & humi-  
dum temperate, corroborat, digerit, pur-  
gat, conuenit stomacho, sed nimius eius  
usus obstruit, secundum Auicennam, &  
facilè vertitur in choleram. Vitellus oui  
facilimè, totusque ferè in sanguinem con-  
uertitur.

Laudatur verò suilla, quæ inter calidum  
& humidum temperata cæteras nutritio-  
ne superat: sed tamen quia phlegmatica  
est, non omnibus pariter conuenit. Ma-  
gnam autem similitudinem cum humana  
carne habet.

Caro ceruina etsi difficilis est cōcoctio-  
nis, tamē tota ipsius substantia aduersatur  
venenis, excepta cauda, quæ ipsa venenosa  
est. Ego certè carnem ceruorum iuniorum  
contra febrim valere, & alioquin salubrem  
esse judico, ijs præsertim, qui facile conco-  
quunt. Cornua ceruorum tenuia & re-  
center

center enata, sunt cibi Principum, & valent contra venenum, quemadmodum etiam os, quod nascitur in corde cervi. Ex piscibus elegantur parui, saxatiles, squaligeri, minimeque viscosi, in fluminibus & puris aquis natantes: magni magna adferunt detrimenta. Laudo lucium: Anguillas verò & tenchas minimè salubres, sed damnandas esse duco: utque omnis pinguedo mala, sic piscium pessima est. Omnes autem promiscue carnes & pisces quando assantur, acquirunt duritatem, caliditatem & siccitatem aliquam, & corpora magis nutriunt, maiusq; robur adferunt, quam elixæ carnes.

Panis vester sit triticeus, bene coctus, non plane furfuris expers, ex recenti confectus frumento, non nimis antiquus, nec maioris ætatis, quam trium aut quatuor dierum. Usus calidi & recentis panis in comedendo officit.

Medulla verò adhuc calentis panis indita vino, ad olfactum si adhibeas, prodest, cor ipsum recreat atq; corroborat, spiritumque fouet. Crusta panis ijs, quorum ventriculus abundat superfluis humiditatibus, conductit. Panis autem indigestus naturam magis laedit quam caro, secundum commune dictum: Omnis repletio

C 5 mala,

mala, panis verò pessima. Sal calidum & siccum reddit singulis ferculis saporem, excitat appetitum, sed nimius eius usus est nobis noxijs, quia adurit sanguinem, laxat usum, & scabiem excitat.

Lac est calidum & humidum, propinquum complexioni humanæ, conuenit pueris & senibus, non multum autem febricitantibus.

Quantum ad fructus attinet ò filij, eorum usum omni modo vobis prohibeo. Plus enim detrimenti quam boni afferunt. Ex nucibus tamen & sicubus pharmacum componitur, de quo postea dicam.

Laudo uas passas, si quis mane, antequam alia fercula attingat, ijs vescatur. Quibus etiam in coctione ciborum miscendis, melioris saporis gratia ut licet, quemadmodum & reliquis fructibus, sic enim virositatem amittunt. Quandiu autem sanis sospitesq; estis, cibis, quos maximè appetitis, vos vesci (moderatè tamen) cupio. Nam qui cum delectatione assumuntur cibi, hos ventriculus auidius amplectitur, promptiusq; & expeditius concoquit, sed ex aduerso, eos, qui displicant, refugit, atque auersatur.

Quantitas cibi & potus debet esse tanta, ut calor innatus, in quo vita consistit, neque

neque propter penuriam alimenti resoluantur, nec propter copiam opprimatur, extinguitur, sed ut possit vincere & superare. Nam ubi secus fit, & vel nimis parcè cibus subministratur stomacho, consumuntur corpus, & debilitatur virtus, vel si nimius ingeritur, est causa putredinis & obstructionum. Excessus autem animaduertitur, si anhelitus, pulsus, vrina & egestio mutantur. Tantum igitur cibi & potionis adhibendum, quantum ventriculus facile concoquere possit, ut vires reficiantur, non opprimantur. Sic enim edendum est, ut esuriamus: & sic potandum, ut sitiamus, sanitatisque studium in eo consistit (ut docet Hippocrates) ut satietas ciborum fugiatur, & alacritas ad laborem præstetur. Nec de nihilo est, quod trito fertur proverbio, plures perire crapula quam gladio, vnicamque gulam omnium prope morborum esse matrem, & per eam cursum vitae sepe abrumpi. Famem itaque cibus, sitim potus expectet, auditas vtriusque superbit, fastidium & securitas procul absit. Ut autem non plus cibi, quam natura exigit, ingerendum: sic vicissim periculosior est tenuior viatus quam paulò plenior. Sepius enim accidit, ut si quæ copiosiore cibo collegeris progressu temporis facile confu-

consumas, & si quid etiam supersit, repletioni abstinentia mederi possit. Interim meminisse vos decet, omne nimium naturæ esse inimicum, temperantiae vero mercedem esse robur & sanitatem.

Vt in alijs rebus omnibus, sic etiam in administratione cibi & potus ordo minime est turbandus. Subtiles itaq; , liquidi, humidi ac facilis coctionis cibi, solidis, duris, crassioribus & tardæ coctionis cibis præmittantur, ne forte dura liquidis exundi meatus impedian, & corruptio fiat, secundum versiculum :

*Præmittas calidum frigidis & mollia duris.*

Bis in die comedite, sed cum aliqui vestrum nondum ad pubertatem accesserint, ter vel quater ijs de die cibum capere licet, quod idem etiam cholericis & ætate prouectioribus salutare fuerit.

Prandio vel cœnæ certas & statutas horas destinare vos minime volo, propter negotia tum publica, tum priuata. Nam cū, propter profecitionum, venationumque commoditatem, corpori curando semper vacare nequeatis, sed tempus prandij vel cœnæ interdum differre cogamini, malo vos hac in parte à Medicorum decretis aliquantulum discedere, vt maior necessitatis, quam huiusmodi exquisitarum præceptio-

ceptionum ratio habeatur. Tempus autem edendi aptissimum est absoluta concoctione, quod fames indicat, neque ingerendus alius est cibus, priusquam ingestus plane fuerit concoctus.

In comedendo minimè moram producite, sed simul omnia fercula vobis apponi curate, ut quod maximè palato & ventriculo arriserit, inde deligatis. Alimenta antequam deglutias, exactissime mandite, molaribusq; optimè atterite.

Sumto cibo modicè deambulate, mox verò sedete, secundum versum :

*Post pastum stabis, passu molliue meabis.*

Cœna, cum noctium ingruit longitudo, largior & plenior prandio, dum adhuc in inuenili ætate estis constituti, vobis congruit. Secus verò si catharris & destillationibus, nocturnisq; morbis laboratis. Siccūs cibus alimenta mollia, potumq; pondere æquet. Inter comedendum sæpe ac parum bibite: Inter prandium & cœnam potu abstinere concoctionem iuuat, cholericos tamen & pueros hoc præceptum non ita arctè obstringit.

Inter utramq; comedionem ad minus sex horarum spaciū interponatur, vt tempore intermedio præcipua coctiones perfici queant. Hyeme rectius cibis actu & vir-

& virtute utimini calidis, aestate verò frigidis. Sed nunc ad potum transeamus.

## C A P V T VIII.

## D E P O T . V .

**P**O T U S non minus, quam cibus necessarius est, ut corpus humectet, & quod humidum è corpore dissoluitur, restauret, crassioresq; cibos ad loca remotiora depellat.

Moderata vini potio vires reficit, calorem naturalem corroborat, humores temperat, purgatque per sudorem & vrinam, corpori alimentum exhibit, appetitum & coctricem facultatem iuuat, & animū præsertim eorum, qui temperatæ sunt complexionis, latum & hilarem reddit. Immoderata verò potio vini, omnes humani corporis sensus laedit, ingenij vires opprimit, animique vigorem eneruat, ac hebetem reddit, cerebro ac nervis plurimum officit, tremorem membrorum, spasmum, apoplexiā, paralysin & mortem repentinam adducit.

Vinum autem præ cæteris illud eligatur, quod præditum est bono odore, colore, nitore & sapore. Vinum vetus calidum est in tertio gradu, recens in primo. Sed

Sed quò est generosius eò calidius, quò dulcius eò minus validum.

Vinum defecatum recenti, siue musto salubritatis palmam præripit. Hoc enim inflationes & calculos in renibus generat, ægreque concoquitur, aliuum tamen cito mouet, illudq; boni saltem præstat.

Inter cætera vini genera præstans est vinum, quod cum Helenij herbæ radice decoctum est. Asthmaticis enim salubre est, & ad concoctionem in primis conductit, purgatq; nonnihil. Ideoq; hoc vini generē ego delector. Vinum etiam saccaro decoctum senibus frigidis, & debilibus conuenit, & quibus humor nativus & calor naturalis imminuuntur. Nutrit enim & sanguinem generat, & replet partes principales spiritibus.

#### R E C. Vini optimi libras tres.

Saccari albissimi libram 1. coquatur ad lentum ignem more syrapi, scrua & utere cum duabus partibus aquæ decoctæ, ut supra, vel aliter prout usus postulabit. Hoc vinum siue potius ex vino syrūpum Rabi Moses in libro de victus ratione senum & conualecentium approbat. Probo etiam Potum Hippocraticum, qui valdè his frigidis in locis conductit hyberno præsertim tempore.

Cereui-

Cereuisia sit ex bono frumento, probe cocta, sit clara, non nimis recens, nec adeo vetus, ut saporem contraxerit acetosum. Cereuisia alit neruos, bonum efficit colorem, è stomacho & intestinis facile effluit, tempore calido confert plurimum, sitim sedat, & corporibus nostris non multò minus salubris est, quam vinum. Obtinet cereuisia præsertim Hamburgensis præter nutriendi & calefaciandi facultatem, quam ex tritico aut hordeo nanciscitur, quandam etiam medicandi vim ex lupulo salictario acceptam. Quodque sit potus saluberrimus incolarum in his regionib. septentrionalibus, floridus color, forma elegans & integra corporis constitutio indicant. Nam raro nostrates podagra vel arthritico morbo afficiuntur: Catharro tamen vel asthmate, vel renum morbo nonnunquam infestantur. Quod si verò quis cereuisiam usq; ad ebrietatem ingurgitauerit, plurimum ex hac detrimenti percipiet. Nam capitis dolorem, inflationes & morbos frigidos inde gigni experietur. Ita ut peior sit crapula, quæ à cereuisia, quam quæ à vino oritur, his præsertim in locis, ubi phlegma & catharri in corporibus abundant. Alioqui grauior est, ex vino quam ex cereuisia crapula. Sed

Sed cum Cereuisiarum diuersa ac plurima  
sint genera, vnumquemq; naturæ suæ ra-  
tionem habere decet, vt cereuisia, quæ ma-  
xime sibi conueniat, vtatur.

Aquam decoctionis hordei, quæ ad re-  
frigerandum tam sanis quam ægris con-  
fert plurimum, quaque ego vti consueui,  
quemadmodū conficere oportet, hoc lo-  
co subijciam.

R E C. Hordei libram dimidiam.

Aqua mensuras 4.

Glycyrrhizæ semiunciam.

Seminis violarum drachmas ij.

Seminis petroselini drachmas ij.

Rosarum rubearum vncias iij.

Hyssopi, } ana sesquiunciam.  
Salvia, }

Ficuum, }  
Vuatum passarum } ana vncias iij.  
enucleatarum,

Hæc omnia in vase fistili decoquantur  
tam diu, donec ad latitudinem duorum  
transuersorum digitorum decrescant. Vas  
fistile in aquam frigidam collocetur, &  
deinde per linteolum excoletur.

Hyeme calidum, æstate frigidum biba-  
tur, nec vñquam ante sumptum cibum,  
nec spacio inter prandium & cœnam in-

D terposito,

terposito, nisi aliquis cholerae valde sit obnoxius, vel puer, vel in teneris annis inuterato quodam more sit assuefactus. Quæ tamen consuetudo mala est, & paulatim tractu temporis in melius mutanda.

Ex aureis argenteisque poculis bibere, ad sanitatem non parum emolumenti habet, quemadmodum etiam aurum vel argentum candens in potionē extinguere prodest. Pocula vestra sint operta & tecta, ne quid detrimentosi illabatur, vel venenum a muscis aut alijs animalculis inferatur.

Potum autem niue imposita aut nitro resoluto refrigerare vos nolo, atq; hoc ut rem corporibus vestris noxiam prohibeo. Nam cum potus niue aut nitro refrigeratur, violenter cogitur.

Cum acetum etiam cum potu cognitionem quandam habeat, pauca de hoc monere, ab instituto meo haud alienum esse duxi. Est autem frigidum in primo gradu, & siccum in secundo proportione: secundum eius aciditatem Melancholicis obest, cholericis verò prodest. Vnde calido stomacho pariter & humido eius usus permisus est. Nam appetitum excitat, concoctionem iuuat, fistit & compescit furentem bilem, phlegmati attenuatione siccitateq; aduersatur, pulmoni tamen obest.

Memine-

Memineritis etiam omnia alimenta fulmine tacta noxia & perniciosa esse. Inest enim illis vis pestifera, ex qua spiritus venenatus in contactu diffunditur. Quare nequaquam potu conuenit ut, qui fulmine tactus degenerarit, siue sit immunitatus.

Labor autem cibum antecedere debet, cibus potum, uterque somnum, atque in his omnibus modum seruare optimum est. Peior verò cibi, quam potionis est repletio: pessima cibi & potionis coniunctim, nisi per vomitum curetur. Et hæc de potu dixisse sufficiat. Iam ad motum & quietem progrediamur.

## CAPUT IX.

## DE MOTVSIVE DE EXERCITATIONIBUS CORPORIS.

**Q**UONIAM magna pars conseruandæ sanitatis in oportuna corporis exercitatione consistit, motus quoque ratio, quo corpus valetudinis conseruanda grata agitatur, diligens est habenda. Motus autem tanquam genus continet in se omnes exercitationes, & corporibus nostris necessarius est, tam continuus, tam temperatus, tam varius motus, quam cœlestium aerisque ignis & aquæ, seruata tamen con-

cōctionis & somni necessitate, defatigātionē verò & resolutionē destillationēque vitata.

Omnis autem exercitatio corpori leuitatem præbet, insitum calorem auget, membrorumq; duritiem efficit. Per laborem vires corporis magis accrescunt, membraq; omnia redduntur solidiora & robustiora, sed ex contrario membra per ocium tabescunt.

Exercitatio acuta corpus tenuat, contraria crassius reddit: multa corpus siccatur, mediocris obesum praefstat. Vernum exercitium sit maius astiuo.

Varias autem exercitationum species querite, & moderatas amate, lecoq; opertuno & commodo instituite, ut modo rurri, modo in vrbe versemini, interdum nauigio vehamini, nonnunquam vehiculo vltro citroq; feramini, quandoq; placeat venatio.

Suavi & iucunda ambulatione adhibita cibus in ventriculi fundum descendit, longiore & concitatiore etiam frigoris vis dissoluitur. Ut plurimum autem in locis apricis ambulationem instituetis. Sub dienim nati sumus, cumque in locis apricis ambulamus, aër & venti nos circumdant, Sol cæteriq; planetae & stellæ radios libere in nos

in nos proijciunt, vis siderum obambulantibus nobis è directo magis incidit, nosq; aërem haurimus & attrahimus recentem, quo sp̄ritus cordis egregie reficitur.

Melior itaq; est ambulatio sub dio cæteris paribus, quā in porticu, melior in sole, quām in umbra. Si caput patitur, melior in umbra quam viridaria efficiunt, quām quæ tecta.

Mane circa montes, vesperi verò ad amoeni fluminis ripas spaciari conuenit.

Laudo etiam frequentem aquæ nitidæ aspectum, virides & rubros colores, horrorum nemorumq; usum, quemadmodum etiam leuem nauigationem valde probo, & varietatem in primis, facilesq; occupationes & diuersa negotia, non molesta, assiduum hominum gratiosorum & felicium consuetudinem.

Laudantur à Medicis ex potissimum exercitationes, in quibus brachia exercentur, & thorax panditur, ut superfluitates in pectore & pulmone discutiantur, & materiæ ad inferiora trahantur.

Ascensus & descensus cum quadam varietate etiam mouet corpus, nisi tamen id sit perquam imbecillum. Equitationis exercitium quoque non est insalubre. Hæc

enim spiritus ipsos supra reliquum exercitiorum genus corroborat, & sensus purgat, stomachoꝝ in primis est apta, & spinam rectam sustinere postulat. Cum itaqꝫ his redundet commoditatibus equitatio, & nobilibus maximè conueniat, atque ad illorum expedienda negotia in primis sit vtilis, in pace iucunda, in bello verò necessaria, nequaquam hanc negligite, sed debitam operam & studium in eam impendite. Quia verò ad eam exercendam naturæ vestræ ductu satis inclinatos esse scis, plura de hac non dicam, sed saltem hoc adiiciam, eam si nimia sit, viscerib. obesse, propter iactationem frequentem & membrorum successionem.

Ego venatione (quam vix quisquam sati iustis præconijs vñquam ornare poterit) vnicè delector. Venatio enim non solum vniuersas corporis vires & partes ex quo exercet, sed etiam animum mira voluptate afficit. Facit nos ante lucem somno excusso leuari, frigoraꝝ & calores tolerare. Equitando totum corpus venatoris mouetur, eoꝝ pacto insitus calor augetur, lacerti, brachia manusque canibus venaticis ducendis agitantur, canum strepitu clamore & latratu aurium sensus exacuitur, vociferatione thorax & vocalia instru-

instrumenta exercentur, dum feras fugientes summo studio venator insequitur, cursu ad quodvis opus efficiendum agilior redditur, in velocitatem celeritatemque ferarum, atque in canum incursum, insulatumq; acies oculorum intenditur, quare visus melior perfectiorque efficitur. Sæpe numero in venando animus, ubi ferox aliqua bestia sese obiecerit, ardore quodam incalescit, deinde cupiditate & honoris studio captus, cœde ferarum mire afficitur, dumq; omnibus corporis aduocatis viribus, omniumq; neruorum contentione certamen aggreditur conficitque tandem, laboris victor re ipsa lætatur. Membra quoq; & instrumenta reliqua venatoris, ex mutuo ipsorum attritu redundunt duriora & robustiora, Spiritus vehementius mouetur, musculi & nerui validiores efficiuntur. Taceo, quæ consilia in feris indagandis, quam diligentiam in capiendis, laborem in feriendis & percutiendis studium venatorum requirat, ex ipso etiam conatu ad multa meliores & sapientiores euadimus. Deniq; venatio maximam cum re bellica similitudinem habere videtur. Hæc enim sibi præficit ducem, cuius dictis omnes auscultant atq; obediunt, hostem excursionibus prouocat, exploratores in

speculis disponit, insidias abdit; apertum Martem simulat, diuortia, quæ ad fugam patent, obseruat, per saltus quidem & ar-ua pedites præmittit, loca plana & aperta equitum alis præcingit, cornuum strepitu progressus aut receptus, prædam aduen-tantem aut euadentem significat, moueri castra indicat. Adeò ut omittino cōcluden-dum sit, venationem bello ac pugnæ simili-mam. Ex his itaque constat, venationem tripli-cem nobis præstare vtilitatem, vnam sanitatis, alteram, scientiæ rei militaris. Tertiā, victus. Sed ne absq; ratione hanc venationis disciplinam vobis commenda-re videar, Xenophontem, qui fuit præstans imperator, bonus paterfamilias, & dili-gens naturæ suæ conseruator, huiusc ar-tis peritissimus, magnis hanc laudibus ef-ferentem introducam, cuius summi viri testimonium maximam apud vos habitu-rum autoritatem spero. Is in suo de ve-natione libello sic inquit: Qui studio ve-nationis dediti sunt, magnam ex eo vtili-tatem capiunt. Nam corporibus bonam valetudinem comparant, hinc vident, au-diuntq; magis, senescunt minus. Hæc ad bellum præcipue instituit: Primò quidem, si vias iniq;as sub armis ambulant, minus lassantur: Nam labores sustinent, quibus feras

feras capere consueuerunt. Deinde, poterunt humi iacentes quiescere, ad imperatoris edictum præstò esse. In adeundis hostibus inuadere simul & imperata facere, cum feras ipsi hoc modo venentur. Nec verò in fronte locati deserunt acies, quia sunt paratissimi. At in hostium fuga vbiq; illos propter locorum peritiam rectè ac tutò persequuntur. Quod si exercitus suus infeliciter pugnauerit, in syluosis, abruptis, iniquisq; alijs locis seipso, cum cæteris non turpiter saluare poterunt: nam consuetudo venandi non nihil eos peritiores reddit. Et hi plerunq; magna comilitonum turba fugiente, victores hostes propter locorum difficultatem errantes, suo ipsi robore & audacia repugnando terga dare coegerunt. Nam fortuna ferè corporis & animi fortitudinem comittatur. Quod cum maiores nostri cognoscerent, hinc rem aduersus hostem bene geri, studium hoc iuuenum instituerunt. Hæc ille:

Sunt & alia exercitia, quibus sanitas conseruari potest, vt certamen equestre, cursus, natationis, gladiatorum, sagittariorum, & usus pilæ proiectilis nostris temporibus in his regionib. visitatæ. Item gestatio, vectio, cantatio, clara lectio. Par-

uæ etiam pilæ siue sphæræ usus à Galeno commendatur, quod crura, brachia, cervicem, caput, oculos, dorsum, lumbos, & omne ex æquo corpus moueat.

Nonnulli frictionem & cohibitionem anhelitus exercitationibus annumerant, quæ cum aliquem in tuenda valetudine usum habeant, leuiter perstringendæ veniunt.

Frictione, si dura est, corpus duratur & corroboratur: dum scilicet excrementa, quæ spacia particularum intermedia occupant, discutiendo membra densantur, compactioraque & firmiora euadunt. Si mollis, mollitur, diffuso nimirum, non autem discussio particularum humido, aut etiam nouo aliunde accersito. Si multa minuitur: si nulla repletur. Ego discussurus cubitum tibijs, brachijs, anteriori & posteriori parti corporis, frictionem singulis ferè diebus sub noctem ad focum pueros mihi ministrari curo. Idq; ad quartam coctionem, quæ in venis perficitur, iuuandam, quæ res ut nullæ ratione satiis approbari posse videatur, mihi tamen, ni fallor, summopere contulit. Qui matutino tempore frictions huiusmodi esse oportuniiores censem, is ut suum & ipse sequatur genium suadeo. Cohibitio spiritus

lus nunc non est in frequenti vsu: Illud tamen monuisse non pigebit, retentionē spiritus contra singultus leuiores, ex frigiditate ortos, præsens esse remedium, vt Aristo. quoq; 33. Sect. Probl. 1. testatur.

Omnis verò exercitatio lentè suscipiatur. Facit hoc ad probiorem suscep̄ti operis continuationem: & est alioquin omnis motus, qui secundum naturam est initio sui tardior ac debilior, in progressu autem & fine celerior expeditiorq;

Exercitationes autem bene valenti sunt ad præcautionem accommodatissimæ, omnes tamen confessio prope duplici concoctione cibo, aluoq; subducta, id est, bono mane: Sic enim & alimenti coctio, & eiusdem concocti digestio per corpus p-mouetur, & si quid excrementorum ibi hæserit, expurgatur: Alioquin post digestionem quidem corpus absimunt & colluant, post cibum autem caput grauant, coctionem perturbant, impurisq; & crudis succis corpus replent vniuersum.

Exercitatio producatur ad sudorem usque, quo guttatum emanente rursus intermittatur, vel etiam continuetur, usque ad defatigationis initium: idq; ipsum modò magis, modò minus faciendum est. Hymene sit prolixior, quam æstate. Et plus debet se

bet se exercere phlegmaticus, quam cholericus: ut enim animi, ita corporis quoq; exercitia moderata & tempestiuè adhibita sint oportet: mala est enim nimia defatigatio atque exsolutio corporis, peior animi, utriusq; simul pessima oppositis nempe hominem motibus distrahens, vitamq; disperdens. Moderatis autem laboribus corpus, animus honestis actionibus roboratur.

Cæterum cum exercitio aliquo incalueritis, ne statim vento aut frigido aëri vos exponite. Omnis enim subita mutatio est periculosa, cum alias tum vero maximè, cum ab altero extremorum ad alterum sit transitus: quæ paulatim sit, magis est tutæ. Ne autem hoc loco sim longior, cum Hippocrate & Celso concludam, sanitatis tutelam auspicandam esse à labore, quem excipient cibūs & potio, deinde somnus, mox Venus. Sed labor, cibus, potus, somnus, & Venus, omnia sint mediocria.

## CAPVT X.

## DE QUIETE ET OTIO.

**Q**UEMADMODVM exercitationis usus legitimo, debitoq; tempore administratus ad sanitatem conservandam pluri-

mum momenti habet: ita quies immodica & perpetua non solum corporis, sed & animi vigorem obtundit. Nam ut per exercitium calor innatus suscitatur, adeoque ciborum concoctio, digestioq; corundem promouetur, ita per otium accidentur contraria. Otium igitur immodicum, tanquam ipsissimam pestem vos fugere volo, nam, ut Poëta inquit: *Variam semper dant otia mentem.* Naturæ tamen expedit, ut corpus labore defatigatum requiescat, præsentissimumq; laetitudinis remedium, & exercitationis condimentum est quies, ut Poëta inquit:

*Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,*

*Immodicus contra carpit virung; labor.*

Hunc igitur scopum vitæ vobis, filij mei carissimi, in primis præfixū esse volo, eam præcipue ob causam vos in hanc lucem editos esse, ut Deo immortali, patriæ, propinquisq; inseruiatis, non ut edatis, bibatis, dormiatis, otioq; diffluatis. Edimus enim & bibimus ut viuamus, non viuimus ut edamus & bibamus, vitamque in otio absq; honesto labore traducamus. Et hæc de quiete & otio dixisse sufficiat.

## C A P V T X I.

### D E S O M N O.

Postea-

**P**O STEAQVAM de motu & quiete dixi, restat ut de somno & vigilia breuiter verba faciam. Est autem somnus, ut Hippocrates libro de insomnijs ait, quidam quasi recessus animi in seipsum. Itē, animalium facultatum requies, vinculum siue vacatio sensuum exteriorum, & motus localis ab ulti quadam humiditate, ut putant, cerebrum madefaciente, inclinationemque ad somnum inducente, proueniens. Somnus autem vires roboret omnes, corpus reficit, concoctionem confirmat & perficit, ægritudinem obliuione deler, lassitudinem leuat, mentis insaniam corrigit. Præterea internas corporis partes humectat, visceribus ut functionibus suis obeundis sufficient, & ad omnia naturæ opera plurimum confert. Interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet: nocturnus enim somnus maximè secundum naturam existit. Hæc interualla motuum atque hunc ordinem Deus ab initio in natura sanxit.

Somno tamen non nimis indulgendum est, pomeridiano vero neq; etiam parum: nam is ut valetudinis hostis capitalis ( nisi tamen ubi quis nocturnis laboribus aut vigilijs à sopore præpeditus fuerit ) est fugiendus. Et sanci qui ita sunt somno dediti,

ut ma-

vt magnam diei partem stabant, & cum  
gliribus certent, raro ad iustum perueni-  
unt senectutem. Etenim ij magnam impu-  
riorum excrementorum copiam non so-  
lum in cerebro, verum etiam alijs corporis  
partibus accumulare solent. Alios consue-  
tudo subleuat: sed assuescere ijs, quæ præ-  
ter leges naturæ fiunt, consultum vobis  
non est.

Vt autem nimius & immodicus somnus  
noxius est, sic moderatus proderit vobis  
in primis, cum ad decrepitam senectutem  
fueritis progressi, ad humectandam siccii-  
tatem. Duabus horis à cena vigilate, pri-  
usquam vos quieti mandetis. Lucubratio-  
nes nocturnas fugite. Somnus vester spacio  
7. 8. aut ad summum 9. horarum circum-  
scribatur, Idcꝫ hac conditione. Si conco-  
ctio alimentorum probè & perfectè fuerit  
absoluta, quod vel ex utrinque flauitie, vel  
corporis alacritate, & membroru vigore  
cognoscitur. Item, quando nec ventris  
dolor, nec ructus, nec oscitatio adest.  
Nonnunquam etiam nocturna vigilia, aut  
erupula diurna prolixiorē somnum exi-  
git. Eò magis si vos peste aut veneno infi-  
ci contigerit, per initia præsertim mali ca-  
uendum erit, ne per nimium somnum ve-  
nenum ad intima præcordia illapsum vos  
extin-

extinguat: Virium tamen semper habenda ratio fuerit.

Quod si noctu vigilijs detenti, ex uno latere vos in alterum voluitis, & versatis, vigilescet permanetis, alia post aliam imaginatione accedente, ac somnum intercipiente, non inutile fuerit surgere, lenteque paululum inambulare, & postea cubitum redire.

Cubiculum sit amplum, versus ad Septentrionem vel Orientem, non ita multis distinctum fenestris, quæ tamen, ubi nullæ lues aerem infecerit, de die aperiantur, nocte autem claudantur. In cubiculo interdum accendatur focus, ut aer flamma purgetur: nonnunquam suaves suffitus & suffumigia excitentur, quibus cerebrum alteretur, omni tamen fumo priusquam ingrediamini dissipato.

Nocturno tempore candela ex puriore cera confecta accendatur: fumus enim ex cæteris candelis magis nocet.

Lectus sit mollis, & vndiquaque viridi cortina septus. Culcitram præstat ex golfo aut serico crudo, vel etiam cocto, quam ex plumis esse repletam.

Tegetem non decet esse nimis calidam, neque nimis frigidam, sed pro qualitate aeris, ita temperatam, ut concoctionem adiuuare

adiuware queat. Ideo secundum anni tempora mandata est.

Cloacæ quam longissimè à cubiculis dormitorij snt remotæ , & matula sit operculo tecta, ne cùm prope lectum collocatur, fœtor inde exhalans lœdat cerebrum.

Primum decubitū in dextro latere auspicandum esse , annotarunt Medici , secundum verò in sinistro , atq; in hoc somnum esse perficiendum capite alte super puluinar elevato , coopertoq; tenui linea cucupha, in cuius summitate sit foramen , per quod vapores exhalare queant. Dormiendum alij haud aperto ore dicunt , quod tamen patri meo fuit familiare , & à me hactenus quoq; seruatur, ideoq; vobis eum minimè incommodum fore reor : Aperto enim ore dormientibus aqua siue humiditas aliqua ex ore descendit , quod mihi sape solet accidere. Supinus decubitus corporibus est noxius & planè fugiendus.

Vt autem sciatis , qua animi securitate somnum inire vos velim , patris mei exemplum vobis hoc loco ob oculos ponam . Is enim solitus fuit dicere , se cum cubitum contenderet , vestesque exueret , omnia simul negotia ac cogitationes , tam de re-

E bus

bus publicis, quam priuatis, simul depōs-  
nere & exuere, ut cō melius somno vacare  
posset: summo autem manē se vñā cum  
vestibus negotia, & cogitationes pridi-  
nas reassumere. Quam consuetudinem  
vobis etiam imitandam, memoriq̄ mente  
seruandam esse duco.

Iam subijciam vnum atq̄ alterum mé-  
dicamentum, quo somnus allici queat.

R E C. Oleum rosaceum, vel paululum  
Camphuræ natuæ, misce cum lacte mulie-  
ris, à qua fœmella lactatur, caputq̄ sum-  
mum irriga.

## A L I V D.

R E C. Olei Nymphææ.  
Olei violarum.

Vnguenti popul. ana semiunciam.

Opij gr. tria.

Croci triti gra. quatuor. Fiat vnguentum,  
quo tempore & nates illinantur.

## A L I V D.

R E C. Olei rosacei vnciam vnam.  
Aceti drachmas tres. Agitentur cum al-  
bumine oui, & temporibus applica-

Non alienum fuerit hoc loco paucula  
quædam de insomnijs, quæ cognitionem  
quandam cum somno habent, addere. Illa  
enim corporis affectum declarant, & sunt  
simula-

simulacra præcedentium, vel notæ rerum consequentium sanè non prorsus fortuitæ: nam rationi consentaneum est, certis temperamentis familiaria esse quædam somnia mantica & vera, nosq; ea quæ ad amicos pertinent, tacito quodam mentis præfigio perspicere ac præuidere. Idque eam ob causam, quod amici, quamvis locorum interuallis disiuncti, mutuam de rebus suis suscipiant curam atque cogitationem.

Mihi sanè vistatum est in somnis meos, & amicorum casus, & euentus præuidere. Quemadmodum memini me multa vera habuisse somnia præsertim in aurora, quæ mihi præterita in mentem reuocabant, de futuris admonebant, tam de meis priuatris & domesticis, quam amicorum rebus, quibus quæ mihi, vobis, cæterisq; amicis & cognatis essent euentura, tacita quadam adumbratione indicabantur. Sæpe etiam de successu institutæ venationis vera somnia habui.

Patri meo verum somnium ea nocte, quæ extremum ipsiæ fatalem diem proximè præcedebat, obiectum est: nam in somno oblata est ipsi horrenda mortis species, cum qua acriter & grauiter dimicare sibi visus est, adeò ut omnibus viribus to-

tiusque corporis nisu ac conatu aliquid amoliri, ac auersari existimaret, cum aliqui præ languore membra mouere non valeret. Quod conspiciens Paulus Ranzouius, patruus vester, qui forte vigilans ipsi præstò erat, rogauit patrem, quidnam sic conaretur depellere. Cui respondit, sibi in somnis mortis speciem esse obiectam, cum qua grauem sustinere luctam coactus fuisset, verùm se tandem victum succubuisse. Quod verum fuisse somnium in sequens dies testatus est, quo placidè exspirans vitam cum morte comiutauit, & ex hac lacrymarum valle ad æternæ beatitudinis gaudia concessit.

Habui & ego aliquando verum somnum de bello Succico & Danico, & illud in primis de Daniele Ranzouio, qui in oppugnatione artis Vvalpurgæ globo iactus perijt. Verisimile est, ea, quæ per somnum irrumpunt, simulacra esse nostrarum actionum : videtur namque anima ( ut ait Hipp. lib. de insomn. ) in somno profundum corporis ingressa, exrernis sensibus posthabitis, corporis affectum sentire, & omnium, quæ concupiscit, tanquam iam presentium imaginationem arripere. Nec dubium est, quin animus curis, cogitationibusq; vacuus, ac seipsum contemplans melius præuideat.

Quo-

Quoniam autem antea dictum est, insomnia esse notas rerum futurarum, iam obseruabis has breues præterea insomniorum significaciones, nempe, quod ignis obiectus oculis in somnis flauam bilem designet: fumus aut caligo, atram bilem: pluuias, frigidi humoris abundantiam: Nix & glacies frigidam pituitam. Porro res odoriferæ bonorum humorū sunt testes. Nunc ad reliqua pergemos.

## CAPVT XII.

## DE VIGILIA.

**E**T si somnus & vigilia plurimū ad tuendam corporis sanitatem conferant, tamen vtrumq; si modus in his excedatur, est noxium & malum: vehemens enim vigilia exsiccat, spiritum resoluit, concoctionem impedit, & tum cibi tum potionis cruditatem efficit. Vigilandum est itaq; de die, dormiendum autem noctu, ita ut vigilijs tranquillitas etiam interponatur, unaq; cum sole oriente surgendum (quod tamen in æstate, cùm longissimi sunt dies, haud ita exactè præstari potest) quia tum mouetur sanguis, omnesque creaturæ vires suas de integro instaurant.

Postquam autem surrexeritis, in primis

frigus matutinum, tanquam corporibus  
vestris noxiū vitate: deinde excrements  
alui & vesicæ euacuate, ut fusiū deinceps  
monebimus.

## CAPVT XIII.

DE EXCRETIONE IN  
genere.

**T**RACTATVRVS de excretione &  
retentione, non tam operam dabo, vt  
omnia & singula redundantia genera &  
differentias sigillatim referam, quām vt  
pauca & necessaria, ac ad incolumentem  
corporum vestrorum vtilia succinctè ex-  
pediam.

Lubricus & laxus alius sanitati pluri-  
ma commoda præstat: quæ enim purga-  
tiones sponte ac naturæ beneficio acci-  
dunt, sunt saluberrimæ. Excrementorum  
autem sunt optima, quæ nec nimis dura,  
nec nimis fluida, nec colliquationem aut  
putredinem præ se ferunt: sed ad modum  
mellis coniuncta, quæ sunt conuenientis  
fætoris, & sine punctione, cum voluptate  
& facilitate exeunt. Siccitas enim calorem  
igneum & laborem corporum, resolutio-  
nen humilitatis, & sicca nutrimenta si-  
gnificat. Humiditas verò nimia oppilatio-  
nem &

nem & malitiam digestionis, atq; intestinorum debilitatem designat. Bis igitur in die deiiciatur alius, manè cùm è lecto surgitis, & vesperi cùm cubitum disceditis. Nec crepitus ventris, si soli estis, retineatur. Vrina verò quotiescumq; opus fuerit reddatur, est enim eius retentio non naturalis. Sordes pulmonis & cerebri ejiciantur. Particularium quoq; membrorum excrementa, vt aurium, narium, palatiq; mature euacuentur. Nunc ordine singula breuiter recensebo, per quæ excrementa corporis excernuntur, ac primum de venæ sectione dicam.

### C A P V T X I I I I . D E S E C T I O N E V E N A E .

**S**ANGVINIS usus est in corpore humano vt nutriat, vtq; ex eo omnes corporis particulæ alantur. Cùm autem vena secatur, vnà cum sanguine copioso, vitalis excernitur spiritus, & sic virtus naturalis dissoluitur. Rectè enim Galenus inquit, quod incontinentes, ebiti, ac gulæ dediti, neq; purgatione, neq; sanguinis missione magnoperè iuuentur. Cùm itaq; vos crebris & vehementioribus vitaminæ exercitijs, nec ad amussim, ita vt optima con-

seruandæ valetudinis ratio exigit, vitam  
instituatis, neq; semper eam, quam præ-  
stare deceret, præstetis temperantiam,  
non possum non vos summopere dehor-  
tari, vt ne per venæ sectionem, tempore  
præsertim intensi frigoris vel astus corpo-  
ra vestra crebro euacuetis, ne postea in  
viuidioris sanguinis emissi locum aqua  
humida succedat. Quod si tamen morbus  
aliquis ex sanguinis copia & vbertate vel  
adustione ortus, eius emitendi necessita-  
tem vobis artulerit, hæc lex frangenda  
erit, & eo casu secundum periti Medici  
consilium, sanguinem per venæ sectionem  
educere poteritis.

## C A P V T X V .

### D E C U C U R B I T I S .

**A**T si quis vestrum plane sanguine ab-  
undat, ita vt euacuatione omnino e-  
gear, is cucurbitulis cum scarificatione v-  
tatur: Cuicunq; enim particulae corporis  
affixa fuerint, huius sanguinē eliciunt, exu-  
gunt & euacuant. Hæc appositiio cucurbi-  
tularum non est tam periculosa, quām si  
venæ sectio tentetur. Cum enim vena ferro  
tangitur, multa s̄ape & periculosa comitā-  
tur sectionem accidentia, nonnunquam  
totius

totius brachij conuulsio vel resolutio, & alia eius generis incommoda. Eius rei exemplum est, quod Medici nonnulli & Astrologi certo affirmant, Si quis tempore natuitatis suæ & in quopiam signo habuerit, & eodem signo ascidente, eodemque gradu postea venam secuerit, præsens mortis periculum sibi accersit.

## CAPUT XVI.

## DE HYRUDINIS.

PER hyrudines etiam, siue sanguisugas, quæ cucurbitarum vicem explere possunt, minui & educi olim sanguis solebat, sed iam harum usus exoleuit. Amita tamē mea quondam Abbatissa cœnobij Itzeho-hensis, quæ octogenaria decessit, singulis annis hyrudines loco cucurbitarum applicare membris, etiam in decrepita senectute solebat. Erat enim corpulenta & succia plena. Rationem quam in his eligendis & admouendis habuit, breuiter exponam. Vsa est hac ratione minuendi sanguinis potissimum inter festum Pentecostes & D. Iohannis diem, aut circa diem Bartholomæi, & vnicuique pedi quatuor, brachijs verò singulis duas hyrudines apposuit. Nonnunquam etiā quasdam inter utram-

que scapulam collocavit, ut sanguinem à capite educerent.

Circa meridiem autem hyrudines sunt capienda, & propter virulentiam ante horam sextam vespertinam, non sunt admouendæ, quæ adhibitæ sanguine effluente, trahere non desinant, donec ipsæ sua sponte decidunt. Quibusdam verò quæ sua sponte haud cadunt, aliquantulum salis capiti aspergendum est, ita mox delabentur. Ea autem pars, vnde sanguinem extraxerunt, inie<sup>cto</sup>to linteolo vel spongia founenda est. Nam nonnunquam è foraminibus cutis cruentæ lacrymæ effluere solent. Hyrudines decidentes in peluim injicere & necare, posteaq; vna cum sanguine extracto terra obruere oportet, ne in aquam reuerti queant. Sunt autem capienda tempore aestuali, sole radios suos fortiter exerente, ex piscinis aut fluuijs graminosis. Hæ enim sunt leues, planæ & nigræ, mediocris magnitudinis. Quædam verò hyrudines paruæ sunt, quæ dicuntur palustres Mohr ihlen, quarum ad hanc rem nullus est usus. Quædam habent acutum dorsum, dicunturq; equinæ, quæ itidem fugienda sunt: Nam sunt venenosæ. Et hæc de sanguinis missione, appositione cucurbitularum & hyrudinum monuisse satis

satis est. Restat ut reliqua etiam excretio-  
nis genera persequamur.

## C A P V T X I I I .

D E P U R G A T I O N I B V S  
& Clysteribus,

P U R G A T I O N E S , vt interdum sunt  
necessariæ , sic frequentes periculum  
afferunt. Ij qui exquisitis vtuntur purgati-  
onibus, citò senescunt. Nulla enim purga-  
tio absq; admixtione veneni ministrari po-  
test. Et si fuerit vehementior , comitatur  
hanc repentina deiectio , quæ stomachum  
& cor debilitat , spiritus multos exhaustit,  
confundit humores, ita ut qui hanc crebro  
adhibent, penitus contabescant. Et meri-  
to hac in parte dictum Hippocratis lau-  
datur , qui inquit : Qui corpore bene se  
habent, hos purgare periculosum est. Qua-  
propter ô filij , omnium purgationum &  
principiè vehementium usum vobis omni-  
no interdico. Si quis bonam diætam in  
vita adhibet, purgationibus non eget. Ce-  
reuisia Hamburgensis vim purgandi, al-  
ueumq; emolliendi satis evidentem obti-  
net. Liquidiores quoq; epulæ in principio  
sumtæ aluum mouent. Vinum item Ne-  
tarites siue Inulatum eandem virtutem  
præstat.

præstat. Folia quoq; Senæ in cereuisia vel aqua pura cum prunis damascenis decocta aluum soluunt. Sed subijciam medamenta quædam aluum emollientia & lenientia, quæ, si necessitas ita feret, adhibere poteritis.

S V P P O S I T O R I V M , Q V O P V E-  
ri etiam tutò possunt vti.

Sume recentem ouï tosti vitellum, quæ sale conspersum, cultroq; vnâ cum sale intenuissimas concisum particulas commisce. Huius partem aliquam magnitudine auellanæ linteolo tenui insere, filoq; longiore constringe, id quod propter commoditatem extractionis minime præcidas. Postea in oleum feruens injice, ex quo rursus exemptum mox in loca secretiora, dum calet, insere.

A L I V D.

Confice ex melle aut sale, aut ouis & farina, aut ex lardo fumo indurato balanū, aut etiam ex stercore muris, vel decoque hordeum in aqua calida, & ius illud cum saccaro bibe.

• G L A N D E S , Q V I B V S P A T E R  
meus tempore morbi vti con-  
sueuerat.

R E C

R E C. Mel decoctum ad spissitudinem,  
misce cum farina triticea, Postea mitte in  
mensam, & addito recenti butyro, non  
salito in teretem longamq; formam finge.  
Deinde immitte in oleum, ex quo rursus  
exemptum loco secretiori insere.

## C L Y S T E R.

R E C. Radicum Cichorij, liquiritiae ana  
vnciam dimidiam.  
Intybi satiui drach. ij.  
Herbarum Cichoreæ, Maluæ,  
Bismaluæ, ana manipulum vnum & dimi-  
dium.  
Mercurialis manipulum vnum.  
Sem. Cichorij, fænicul. ana drach. j.  
Foenigræci, lini, ana drachmas ij.  
Florum camomillæ tertiam manipuli par-  
tem.  
Fiat decoctio pro enemate.

R E C. Colaturæ vncias x i.  
Quibus adde oleorum violarum vncias ij.  
Camomillæ vnciam vnam.  
Mellis rosati colati vnciam dimidiam.  
Saccari rub. vnciam dimidiam.  
Eleæcuarij lenitiui, calsiæ pro clysteribus,  
ana drach. v i.  
Misce fiat enema.

Aliud

ALIVD MEDICAMENTVM  
purgatiuum cuiusdam Medici Friderici  
Regis Daniæ, quo Rex ipse & mul-  
ti nobiles vti consue-  
uerunt.

REC. Foliorum Senæ Alexandr. recen-  
tium abiectis stipitibus vnc. j.  
Rhabarbari optimi drachmas ij.  
Agarici eleæti drachmas iij.  
Cinamomi eleæti vnciam vnam semis.

Infundantur per horas xi i. secundum  
artem in sextarijs duobus tepentis vini  
Rhenensis optimi. Deinde colentur per  
sacum laneum ( quem manicam Hippo-  
cratis vocant ) sexies aut septies, & dulco-  
rentur lib. semis saccari optimi in modum  
Nectaris Vt autem compositio huius me-  
dicamenti tanto melius intelligatur , bre-  
uem declarationem adjiciemus.

Sumantur & eligantur folia Senæ minu-  
tissima ac viridißima , Rhabarbarum non  
contundatur , sed acuto cultro in tenuissi-  
mas particulas consindatur , Agaricum  
eligatur albißimum , nullis flavis aut ni-  
gris maculis interspersum , idque ad tyro-  
cnesten atteratur. Cinamomum verò tun-  
datur.

Hæc omnia misceantur in duob. sexta-  
rijs vini

rijs vini Rhenensis, ac super calidos cines-  
res, vel ad fornacem ponantur per spaciū  
xii. horarum. Deinde colentur per lane-  
um saccū septies, & postea addatur lib. S.  
Saccari optimi contuli & bene misceatur.  
Quotiescunq; igitur quis se purgare vo-  
luerit, sumet vel exhauiet dimidium sex-  
tarium huius potionis. Reliquum in vase  
testaceo bene obturato ad usum seruabit.  
Alius quidam Medicus hoc medicamen-  
tum in syrupum laxatium durabiliorem  
mihi commutauit hoc modo, quem & vo-  
bis utiliorem iudico.

R E C. Folior. Senæ Alexandr. recenti-  
um abiectis stipibus vncias ii.  
Rhabarbari optimi drachmas iiiij.  
Agarici albissimi leuissimi vnciam j.  
Cinamomi elefissimi vncias iiij.  
Cubebar. selectarum drach. j.  
Seminum fœniculi,  
Anisi, utriusq; drachmas ii.  
Spicæ Nardi scrupulum unum.  
Zinziberis drachmam dimidiā.  
Vini Rhenensis optimi libras 7.

Ferueant omnia lege artis in dupli-  
ci per horas sex. Deinde permaneant in  
infusione per horas 12. Postea fiat fortis  
expressio, & colentur per saccum mundū  
sexies aut septies. Tandem adde saccari  
puri

puri & albissimi dissoluti lib. i. s. & fiat in modum Nectaris, atq; detur in vsum.

Dosis potest esse pro adultis ad vncias quatuor. Pro infantibus ad vncias duas. Vna autem vncia huius syrapi sumitur duobus cochlearibus mediocris magnitudinis. Nam in qualibet libra sunt 4. drachmæ laxatiuorum. Parum igitur præstabunt vnciæ quatuor pro vna dosi.

### A L I V D M E D I C A M E N T U M purgatiuum.

R E C. Electuarij rosati drach. iiiij.  
Diaprunis laxatiui.  
Diapheniconis ana drach. iiij.  
Saccari albissimi drach. viii.  
Misceantur & fiat bolus.

### A L I A P V R G A T I O.

R E C. Mannæ Calab. opt. drach. sex.  
Rhabarb. electissimi scrupulos duos.  
Spec. hieræ pic. simpl. scrupulum dimid.  
Aquæ Endiuiæ vncias quatuor.  
Syrup. de Bugloss. vnciam dimidiā.  
Misce diligenter.

Nonnulli etiam injectione clysterium vtuntur, quæ interdum vicijs intestinorum medentur, quibus purgatio per assumptam succurrere non potest. Horum descriptio-  
nes ex

nes ex Medicis sunt petendæ , duas tamen iam præmisi.

## C A P V T X V I I I .

## D E V O M I T V .

FREQUENS vomitus sanitatis indicium est. Est autem vomitus materiae cōtentæ in stomacho per superiora expulsio, & omnium purgationū saluberrima censetur. Noxios humores ex ipsis fontibus hæc elicit atq; expellit, omnemq; in ventriculi capacitate, eiusque tunicis hærentem illuum expurgat. Quanquam autem primum ab inferioribus reuelliit, consecutio tamē caput, reliquumq; corpus leuat. Et ea, quæ purgatio non eluit, extirpat vomitio. Si quis gulæ indulxit, hæc maximè noxæ medetur. In æstate totum corpus purgat, in hyeme phlegma & stomachum. Singulis itaq; mensibus bis vomendum, idq; duobus continuis diebus. Nam quod prima vice relictum, id altera ejicitur. Tradit cum Diodoro, Herodotus, Aegyptios & Chaldaeos, quouis mense triduo se vomitu purgare, & clysteribus intestina cluere, sanitatis conseruandæ ergo. Arbitrantur enim omnes corporis languores ex cibis & aëris mutatione oriri.

F

Quod

Quod si quis uauseam habet, & tamen vomere non possit, obseruet vomitum excitari infusione aquæ calidæ, salis & butyri, vel immissione digiti in os. Quia retentio cibi corrupti in yentre est valida corporis destrucción. Ad ciendum facilius vomitum facit, syrup. acetosus vel oximel, si aliquo ante vomitionem tempore accipientur, tum ciendus vomitus tepente aqua, cui sit admixta particula butyri, vel decocto paucò inferius describendo. Ego quoties conuiuijs amicorum interesse ventriculum q̄ vino, cereuisia, & varijs obsoniorum generibus, plus æquo distendere cogor, aliquid quanto liberius genio indulgeo, ut eò facilius per vomitum hæc ejcere possim. Deinde insertione digiti in os vomitum prouoco.

Moueatur autem vomitus in locis calidis, vultus, facies, os, oculi, fauces, dentesq; abluantur aqua, cuius supra facta est mentio, quæ videlicet æquales partes vi ni aceti & aquæ rosarum continet. Sinister pollex cauo manus inseratur. Sequuntur iam quædam, quibus mouendi stomachi vis inest. Poterit hoc pacto non inutile vomitorium parari. R & C. Seminum Ane thi, Atriplicis, Raphani, ana drachmas iij. Aquæ fontanæ libram unam & dimidiam.

Deco-

Decoquantur omnia simul, vscq; dum maneat libra vna, postea coletur. Tepidum exhibeat. Si verò post dimidiā horam non ejicitur, tunc digitus aut penna oleo tintæta in fauces demittatur, & statim sequetur vomitus.

Vomitum sine magna molestia proocat potio dimidiati scyphi vini albi, in quo maceratus sit cortex medianus in glandis iuxta radicem, sumendo huius corticis minutim incisi drachmas duas vel tres, & macerandæ per totam noctem. Bibatur mane post cibum, aut paulò ante cibum. Vomitus autem, qui iteratur frequentius quam bis in mense, est noxious: Sed qui fit in die critico cum alleuatione, est bonus. In febribus verò pestilentialibus semper malus. Immodicus autem vomitus, qui vires corporis plâne prosternit, hoc modo restringatur. Vomens laetatur & fricetur, ac extremæ corporis partes vinculis violenter cohibeantur, pedibus verò aquæ calidæ immisis odoramenta frigida adhibeantur. Quod si vomens cibū denuo ejicerit, cucurbita ori ventriculi applicetur.

## CAPVT XIX.

## DE VRINAE EXCRETIONE.

**C**V M Vrina merito inter euacuationis species referatur, pauca de hac quoq<sup>z</sup> monere decreuimus. Est enim vrina serior pars sanguinis à renibus attracta.

Præstat autem vrinam non supprimere, sed emittere, quandocunq<sup>z</sup> natura exigit, ita vt etiam vel non stimulante natura excretionis conatus sit adhibendus. Si enim excretio vrinæ, vltra quam par est, protrahitur, Renum ac vesicæ calculi inde p<sup>r</sup>creantur, alijq<sup>z</sup> dolores sequuntur.

Vrinarum inspectio atque cognitio non planè damnanda est, propterea pauca subijciam.

Optima vrina est in substantia medioris, ac quantitati potionis, quæ assumta est, proportione respondet: matulæ non adhærens, colore subruffa & subflava, aurorq<sup>z</sup> non puro similis, pro ratione tamen ætatis, sexus, temporis, sedimento albo leui & æquali, sine pilis, bullis, tuberculis & alijs malignis contentis. Alba vrina cruditatis nuncia est, & concoctricis facultatis debilitatem significat. Rubea calorem indicat. Nigra est mala. Viridis morte plurunque designat. Bulla & integra corona grauedinem, doloremq<sup>z</sup> capitis significat.

Sanorum vrina est clara, permanetque sicut emissa est, in qua nulla aut valde exi-

qua hy-

gua hypostasis conspicitur, ut in aqua rosacea. Aliquando clara emititur, & postea subsidit, significatq; imperfectam concoctionem. Quæ autem crassa excreta est, talisq; persistit, hominem non sanum, sed ægrotum designat. Nonnunquam vrina repente turbida euadit, hoc sanis post exercitationem, ægrotantibus post morbos euenit. Ego cum indulgeo poculis, depræhendo me primum emittere vrinam claram, quæ deinde statim subsidit. Si arenulae albae vel rubræ, copiosæ & crassiusculæ, in fundo inueniuntur, lapidem renum aut vesicæ minantur. Si quid pingue innatauerit vrinæ, quod diu durat, resolutionem totius corporis, si autem subito & cumulatim appareat, nec diu duret, colliquationem renum denunciat.

## C A P V T X X .

## D E S V D O R E .

**S**V DORIS quoque commoditas est, quod humorem redundantem aqueum frigidumq; excoquat, eliciat & consumat, ideo eius prouocatio vtilis & necessaria est, præfertim in febribus pestilentialibus, vbi noxius humor interiora corporis infestat. Elicitur autem sudor ignitis lapidi-

bus vino perfusis & linteolo inuolutis,  
arena feruenti, maximeque marina, sole,  
linteis calefactis atq; exercitijs vehemen-  
tioribus. Optimus autem sudor est, qui  
per equitationem, venationem & exerce-  
tationem corporis iucundam mouetur.  
Sudorem post exercitium siue frictionem  
abstergi facite, locaque frigida fugite &  
corpus contegite. Quia à calore ad frigus  
transitus est periculosus.

Paucis etiam subiungam, quid ex sudore  
prædici possit. Boni sudores sunt, qui ex  
toto corpore manant, & qui fiunt in acu-  
tis morbis, in diebus decretorijs. Pessimi  
verò sunt frigidi, & qui tantum circa ca-  
put, faciem, & ceruicem oriuntur. Hi in  
acutis morbis mortem designant, in mi-  
tioribus longitudinem ægritudinis.

## C A P V T X X I.

## D E B A L N E I S.

**B**ALNEA quoq; non immerito inter  
euacuationum genera recensentur:  
ideo hæc silentio præterire minimè decet.  
Balnea calida siue naturalia, quæ dicuntur  
Thermæ, in his oris non emergunt, quo-  
rum alioquin ysum yobis periti Medici  
suggerent.

Balnea

Balnea item arte confecta vobis parum  
conducere reor, eam ob causam, quod  
harum regionum aquilonarium incolæ,  
plerumq; ex Catharris & Asthmate labo-  
rent, quibus morborum generibus bal-  
nea, sicut & vnguenta calida fomenta sup-  
peditant. Merentur verò laudem balnea  
subfrigida, quibus maiores nostri vti con-  
fueuerunt. In his membra non pedeten-  
tim, sed vniuersum corpus submergendū  
esse volunt nonnulli Medici, quod mihi  
etiam probatur, si modo corpus non est  
antea exercitatione aliqua calefactū. Hæc  
enim calidis balneis sunt salubriora, vni-  
uersum corpus firmant, robustum red-  
dunt, & condensant, optimumque ad ex-  
terna nocumenta arcenda præsidium præ-  
stant: ita vt vix verbis exprimi possit,  
quantum momenti ad sanitatis custodiam  
frigida lotio afferre videatur. Qui frigida  
lauantur etiamsi senio propemodum con-  
fecti sunt, corpore tamē constanti & com-  
pacto & colore florido manent. Pater me-  
us nunquam balneis calidis vtebatur, ne-  
que calida lotione capitis, cum tamen sen-  
ibus illæsis, membrisq; omnibus integris  
ad septuagesimum tertium ætatis annum  
peruenerit. Existimabat enim malos hu-  
mores inde in capite gigni, quod idem &

ego expertus sum. Quicunq; autem vestrū vti voluerit balneis, siue frigidis siue calidis, caueat ne corpus immodica Venere, vigilia, crapula, fatigatione, inedia, aut aliquo grauiori exercitationis genere sit debilitatum & exhaustum: Sed vt pristina fruatur sanitate, nec ante confectum magna ex parte in ventriculo cibum, balneum ingrediatur. Post balneū antequam omnis caliditas expirarit, frigoris iniuria maximē arceatur, nec statim cibus capiatur, antequam trium horarum sit interiectum spaciū, sicut & à balneis calidis frigida potio est perniciosissima. Quod si autem calidis vti volueritis, imitentur hæc rationem & qualitatem quatuor temporum siue partium anni. Nam sicuti hæc tempora certis qualitatibus distinguuntur, ita vt Ver sit humidum & calidum in principio & fine, in medio autem temperatum: Aestas calida & sicca: Autumnus frigidus & siccus: Hyems verò frigida & humida: Sic itidem in balneis cauendum, ne subito à calidis ad frigida descendamus, sed paulatim ab altero ad alterū progressiamur, hascq; qualitates pedetentim immutemus. Omnes enim repentinæ mutationes naturæ sunt infensæ. Nam simili gaudet. Hinc extremè calidus vel frigidus

frigidus aér, aut subita ab altero ad alterum mutatio, periculosa est & noxam imbecillitatemque parit. Sunt qui affirmare non dubitant, iuxta communem versiculum: *Sæpe manus, raroq; pedes, Caput verò nunquam esse lauandum.* Lotiones tamen pedum ieiuno, quām pleno ventre, vel hora cœnam proximè præcedente, sunt salubriores. Capitis verò lotio singulis anni partibus semel instituenda est, quemadmodum postea dicetur. Nunc saltē hoc Epigramma obseruetur:

*Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora nostra,  
Restituunt eadem balnea, vina, Venus.*

## CAPUT XXII.

## DE VENERE.

VENERIS legitimus & moderatus virus ad prosperam valetudinem plurimum conducit: meatus enim dilatat, mētem ac rationem exhilarat, iram verò & furores mitigat. Ex aduerso immoderatus multorum malorum est occasio, spiritus resolut, corpora & animos eneruat, omne robur debilitat, calorem innatum extinguit, cerebrum lædit, renes & vesicam corrumpit, senectutem & mortem accelerat, vitalemque firmitatem dissoluit. Et

F 5                   hoc

hoc loco generale præceptum repetendū  
plane est, quod in cibo, potu, labore, som-  
no & vigilia, deniq; in Venere mediocri-  
tas omnino sit seruanda. Sunt qui dicant,  
minuere quæ nocent esse melius, quam  
cumulare & multiplicare quæ iuvant. Mi-  
hi tamen videtur vesci citra saturitatem,  
impigrum esse ad laborem, vitale semen  
conseruare, res esse longè saluberrimas.  
Calidis certè & humidis Veneris usus ma-  
xime conuenit, quemadmodum & illis,  
qui pituita laborant. In hyeme & Vere v-  
tendum est Venere à cibo præsertim sum-  
to. In æstate verò & Autumno abstinen-  
dum. Senes omnino Veneris expertes esse  
decet. Huic enim ætati Venerem ut noxi-  
am, ita inutile esse notius esse puto, quam  
ut me indicare sit necesse.

### C A P V T   XXIII.

#### D E I N E D I A.

**S**EQVITVR nunc extremum euacua-  
tionis genus Inedia: Non autem vobis  
ciborum usum per continuos aliquot dies  
interdico, eò quod hanc intermissionem  
alimentorum, plerunq; debilitatio natu-  
ræ, & malorum humorum generatio co-  
mitetur: Sed interdum per unius diei spa-  
cium

cium inediam tolerare, vel nonnunquam prandium aut cœnam intermittere vos volo, quò tenuitate victus & abstinentia corpora vestra confuescant in bellis, in profecionibus aut venationibus, necessitate ita exposcente, labores etiam sine cibis sustinere. Conducit quoque ad sanitatem inedia præsertim ijs, qui non sunt biliosi aut ad cholera proclives, sed valentibus prædicti viribus, repletis crudis humoribus, qui hoc modo per inediam consumuntur, ut corpus ali possit. Satietas enim nimia, vel longa quies, vel prolixus somnus, vel inedia plerumq; mederi solet, amissaq; sanitas, vbi ex redundantia & copia morbus natus, subtractione & paucitate ciborum restituitur. Ideoque addam hoc loco, quod Galenus narrat Antonium Imperatorem ventriculi cruditates depellere solitum inedia vnius diei, & hauriendo cyathum vini, cui aliquantulum piperis inspersit. Nam multi & magni morbi abstinentia & quiete curantur. Sed vt breuiter summam totius rei complectar, inedia tempestiuè, & ijs quibus conuenit, adhibita, mirificè prodest, reliquis autem, de quibus dixi, plurimum obest.

## C A P V T   XXIIII.

D E

## DE RETENTIONE.

**E**X P E D I T O capitulo de excretione,  
ordo materiæ iam exigeret, vt de re-  
tentione quoq; institueretur oratio: Verū  
cum contrariorum eadem sit natura, & de  
euacuatione satis prolixè sit dictum, pau-  
ca tantum de illa addam. Retenta excre-  
menta grauant & molestant corpus, &  
tandem morbos pariunt. Sunt etiam au-  
rium, narium, palati excrementa maturè  
euacuanda. Nunc ad reliqua transeamus.

## C A P V T XXV.

D E P E R T U R B A T I O N I B V S  
seu affectibus animi.

**A**B S O L V T I S igitur ijs, quibus corpo-  
ris sanitatem tueri potestis, etiam ad  
animi medicinam vobis progrediendum  
erit. Nam vt animæ perturbationes sequū-  
tur corporum passiones, sicut videre licet  
in ebrijs, de quibus Horatius inquit:

*Nam corpus onustum*

*Hesternis vicijs animum quoq; prægrauat ipsum;*

*Atq; affligit humi diuinæ particulam auræ:*

Sic contra ex passionibus animæ corpus  
afficitur, perduciturq; ad consensum, vt in  
amoris, tristitiaq; que affectibus manifestum  
est.

est. Cum igitur corporum & animæ passiones, ita sint coniunctæ & naturali quodam vinculo copulatae, vt fiant causæ plurimarum passionum ad inuicem, animum benè compositum ad sanitatem conservandam plurimum conferre, turbidos autem concitatosq; animorum motus, à ratione auersos, sanitatem conuellere & debilitare arbitror. Quare vobis ô filij in eo potissimum laborandum esse censeo, vt tam animæ, quam corporis perturbations offensionesque caueatis, nec modum illa in re excedatis.

Mœstitia diurna parit Melancholiæ, & vt Salomon inquit: Spiritus tristis excitat ossa, cor lœtum exhilarat mentem. In timore calor omnis & spiritus ad intima cordis penetralia confugiunt, quo fit, vt partes algeant, corpus pallescatur, nerui lœdantur, viresq; omnes conuellantur.

Ira insaniaz initium, sanguine circa cor effuscente, statum mentis immutat, ita vt ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, vultum maculet nunc suffusus rubor, nunc calor albescens. Præterea ira plerunque effundit calorem natuum ad exteriora, corporaç; inflamat. Ideo tunc ea fiunt rubicundiora, & ad omne patrandum facinus promptiora.

Nullis

Nullis prodest ira , nisi in quibus phlegma redundant. Præ nimio & insperato gadio multos expirasse legimus pusillanimes, dilatato nimirum corde, forasq; repente effuso, dissipatoq; spiritu. Quamobrem cum tanta sit perturbationum animi vis, & affectiones sint naturales cordis motus, ab obiectis sensu perceptis orti, omni ratione eas arcete & corrigite , ne vltra modum contristentini , nimioq; gaudio efframini,nimisq; timeatis , confidatis , sperretis aut desperetis. Quæ nisi cauentur, subitam in deterius afferunt naturæ vestræ mutationem. Sed in primis viris nobilibus vtraq; fortuna , tam aduersa quam secunda æquo animo est ferenda , & ubi non omnia pro votis cedunt prosperè , fortuna industria & studio prompto subleuanda.

Hæc de animi affectionibus, siue symptomatibus monere volui , quæ cum ratione difficulter regi queant , diuini spiritus gratiam in subsidium vobis implorandam esse mementote.

## C A P V T XXVI.

P R A E C E P T A Q V A E D A M D E  
diæta singulis diebus seruanda.

**H**A CTENVS ordine rectum & legitimum

mum usum earum rerum, quæ si sinistre adhibentur, corpus nostrum alterant & mutant, naturalemq; corporis statum la-befactant, persecuti sumus. Nunc præcep-ta quædam de victus ratione singulis die-bus, septimanis, mensibus, & annis ser-uanda trademus, à diæta singulis diebus instituenda exorsi.

Principio è lectis surrecturi, omnia vestra membra extendite. Hac enim ratio-ne spiritus animales ad membra exteriora attrahuntur, cerebrum subtile redditur, corpusq; corroboratur. Totum verò cor-pus aliquantis per palmis perfricate, pe-ctus, dorsum & ventrem leniter, fortius autem brachia & tibias vel manibus, aut linteis tepidis. Deinde, caput vnguibus, ab anteriori parte versus posteriorem ex-ercente leniter. Postquam autem leuati fue-ritis, omni studio ac diligentia caput, cer-uicem & pedes à frigore matutino tueri-vos volo. In aurora enim & sub vesperti-num crepusculum frigus ob radiorum so-larium imbecillitatem intensius, ac magis noxiū esse, quam circa meridiem, mini-mè est dubium. Induite vestes nitidas & puras, Aestino tempore prius aqua odo-rifera supra descripta, Hyberno verò ad-focum, non quidem ex fœtidis, sed quer-cinis

cinis aut alijs lignis constructum, exiccatas & vnguentis madefactas. Nam corpora nostra non nihil ex vestibus afficiuntur, & veluti cibi & potionis usus vires auget, vitamq; tuetur: ita vestes corporis calorem conseruant, & frigora arcent, usque adeò, ut victus & vestitus paria esse videantur, & in utroque par diligentia sit praestanda.

In aestate in primis laudo vestes ex pellibus ceruorum & hinnulorum confectas. Ceruus enim est animal longænum, aduersaturq; venenis & serpentibus. Idcirco ego vestibus huiusmodi, per hyemem etiam vtor, ex panno tamen superindutis.

Deinde corpori non male conuenire iudico vestes sericas vel bombycinas, vel ex purpura villosa paratas. Ex pellibus autem Martium vel lupinis, vel etiam vulpinis confectas, per hyemem maximè congruere arbitror: attamen pestis tempore sericæ & pelliceæ vestes damnantur, quod contagiosum aërem facilimè admittant, & diutissime retineant.

Postquam corpus indumentis probè est tectum, capillos capitis eburneo pectine diligenter & moderatè pectite, à fronte ceruicem versus, quadragies pectine ducto. Deinde omnia sensuum instrumenta,

vt oculi

vt oculos, aures, nares, os, linguam, dentes, totamq; faciem frigida abluite. Oculos autem non tantum lauate, sed apertos aquæ gelidæ plane immersite, sordesque palpebris inhærentes inde remouete. Non nunquam etiam aqua rosacea vel fœniculi irrorate, ceruicem panno asperiore perficate. Hæc enim totum corpus confirmant, animum alactiorem reddunt, & visum conseruant. Placuit hoc loco adjicere nonnulla dentifricia, quæ non solum dentes dealbant, sed etiam conseruant, nec non medicamenta quædam visum confortantia.

P V L V I S A D C O N S E R V A N -  
dam albedinem dentium.

R E C . Putamina trium ouorum.

Corallorum rubeorum drachmas tres.

Fili serici albi in olla noua ad cinerem ex-  
usti, drachmas duas.

Cinamomi drachmas duas.

Catiophyl. drachmat vnam.

Pirethri drachmas duas. His ad subtilissi-  
mum puluerem contusis, dentes singu-  
lis diebus vesperi ac mane fricate.

D E S C R I P T I O D E N T I F R I -  
cij, quo vsa est Messilina Augusta  
ex Scribone Largo.

G

R E C .

R E C. Cornuum cerui vstorum in ol-  
lam nouam ad cinerem redactorum,  
 $1\frac{1}{2}$  vnciam.

Masticis chiæ  $\frac{1}{2}$  vnciam.

Salis armoniaci drachmas vi.

A D D E A L B A N D V M D E N T E S,  
& à dolore præseruandum Conserua,  
qua vsa est Ducissa quædam  
magni nominis.

R E C. Aloës vnciam j. S.

Margaritarum vnciam j.

Corallij rubei & albi.

Ligni aloës, Santali rubei sing. vnciam j.  
Sanguinis draconis.

Porcellinæ finæ, id est, albæ terræ, vnde  
conficiuntur illa vasa, quæ ex Hispania  
deferuntur Antuerpiam, vnciam j. S.

Aluminis roche, tam diu loti in aqua pu-  
ra, vt fiat clarum in modum Crystalli,  
vnciam j.

Masticæ, Ambræ, Myrrhæ, ana vnc. S.  
Corticum vel putaminum Cancri fluuia-  
lis, drach. ij.

Puluerisentur omnia subtilissimè vnum-  
quodq; sigillatim, vt sit quasi puluis impal-  
pabilis: Deinde accipias mellis rosarum  
optime despumati vncias xvii. & cum  
præscripto puluere ebullire lento igne fa-  
cias

cias, exceptis Mastiche & Myrrha, quæ postea immisceri debent. Et cum ad conservuæ peruererit spissitudinem, amoueatur ab igne. In coquendo baculo semper versetur etiam cum ab igne amotum fuerit, donec frigescat. Tunc addas myrrham & mastichen, & postea in vase vitro ad usum seruabis. Hoc dentifricio si manedentes fricantur cum linteolo grosso, mirum in modum dealbantur & confortantur.

### ALIVS PVLVIS DEN- tifricius.

REC. Corallorum alborum & rubrorum ana vnciam j.

Pirethri,

Marceris,

Mastiches singul. vnciam j.

Pumicis,

Boli armeni ana vnciam j.

Fiat demum puluis subtilissimus.

### ALIVD AD DEALBAN- dos dentes.

REC. Corallorum rubeorum.

Aluminis sing. drach. ij.

Cornu ceruini vsti.

Santali citrini.

Sanguinis draconis sing. scripulos 4.

G 2 Marga-

Margaritarum drachmam dimidiam.

Spumæ maris drachmas tres.

Musci grana tria.

Camphoræ grana quinque.

Fiat deinde puluis subtilissimus , quo  
fricentur dentes , aut in pilulas formetur  
cum syrupo aliquo, aut melle rosaceo.

M E D I C A M E N T U M C O N -  
fortans visum.

Accipe margaritas, quas in tenuissimas  
particulas contusas excola per linteum  
cum aqua rosarum : Deinde aquæ istius  
aliquot guttas pluma oculis instilla. Qui-  
dam pro margaritis vtuntur saccaro opti-  
mo cum aqua rosacea. At ego margarita-  
rum vsum meliorem esse iudico.

Hæc sequentia prosunt magis oculis , si  
tueamini eos à puluere , fumo, aëre exce-  
dente in caliditate & frigiditate , à ventis  
fortibus, nec visum intendatis acutius, in-  
spiciendis rebus subtilioribus & tenuibus,  
sed vitetis multitudinem coitus , & reple-  
tionem cibi & potus , neq; statim à pran-  
dio vel à cœna dormiatis , atque, vt supra  
dictum est, oculos aquæ claræ immergatis.  
Quanquam sequentia medicamenta mihi  
etiam valde probentur.

R E C.

R E C. Aquarium verbenæ.  
Betonicaæ.

Fœniculi ana vnciam vnam & dimidiam.

Vini albi vnciam vnam.

Tuthiaæ præparatæ drachmam vnam.

Saccari cand. drachmas duas.

Aloës Epaticæ drachmam vnam.

Lactis mulieris drachmas ij.

Camphoræ scrupulum dimidium.

Puluerizanda puluerizentur, & 24. ho-  
ris in infusione permaneant, deinde co-  
lentur & colatura oculi clausi abluantur.

A L I V D C O L L Y R I V M P R A E-  
stantissimum contra omnis generis  
passiones oculorum.

R E C. Fœniculi, Absynthij, Apij, Rutæ,  
Scheinwurz / vna cum radicibus. Item :  
Eufrasiæ, Salviaæ, Betonicæ, Auripigmen-  
ti, Gnidij, Pimpinellæ, Cardobenedicti,  
sing. partes æquales. Hæc omnia simul in  
mortario contusa misce, ac vrinam pueri  
infunde. Deinde rec. 14. gra. piperis con-  
tusi, & cochlearia duo mellis ex apibus,  
Camphoræ drach. vnam. Hæc omnia si-  
mul in mortario contusa, per linteum ex-  
prime, & colaturam seu succum in vitro  
vase conserua, ac inde singulis diebus ve-  
speri & manè guttam vnam in oculum pa-  
tientis

tientis instilla. Animaduertendum tamen est, quod hæc aqua per spacium nouem dierum Soli est exponenda & distillanda, antequam in vsum transferatur.

Superfluitates omnes amouete, tam per vrinā, quam ventrē, quem ad minus semel singulis diebus deijcite. Ex naribus & pulmone sordes per excretionem & sputum excernite, & in facie, capite, corpore toto ac vestitu ornatum & munditiem diligite. Nam in ipsis cunis immundiciem horremus suadente iam tum natura, cum nondum ratio valet.

His peractis precatio[n]es vestras clara ad Deum voce effundere mementote, vt is dies vobis felix, faustusq[ue] illucescat, vt que Dei actiones vestras dirigat, ad nominis sui gloriam, patriæ vtilitatem & corporum vestrorum conseruationem.

Deinde molliter inambulate, vt quicquid est excrementorum ad inferiora delabatur, & calore naturali excitato, melius succedat excretio.

Negotia siue publica, siue priuata cum honestate quadam tractate, & postea profectio[n]es venationesq[ue] perficite.

Horas antemeridianas omnes, & expomeridianis tres aut quatuor, quæ cœnam proximè præcedunt studijs & negotijs se-

tijis serijs attribuite. Semper in manibus versate, vel corallos, vel succinos, vel calcedonios, orbiculos odoriferos, aut lapides preciosos. In annulari sinistræ manus digito, annulos Smaragdo, Sapphyro aut draconite ornatos gestate. In lapidibus enim, sicut & in herbis, magna virtus est & efficacia, sed nobis non penitus perspecta. In ore vel Hyacinthum, vel Cristallum aut granatum, vel aurum & argentum purissimum, aut Zaccarum candidissimum interdum tenete. Affirmat Aristoteles & Albertus Magnus, quod Smaragdus collo adalligatus Epilepsiam impedit. Magna quidē est herbis virtus, sed maxima gemmis, quas verisimile est occultis quibusdam virtutibus esse præditas.

Bis de die tantum comedite, cum virilem eritis nacti ætatem, his tamen qui choleræ & obnoxij sunt, sèpius cibum capere licet. Prandium & cœnam semper à cibis liquidioribus, nunquam à potu incipite.

Medio tempore inter prandium & cœnam à poculis prorsus abstинete, nisi vel ratio necessitatis, vel consuetudinis id requirat, quarum tamen posterior consuetudo viciosa, & paulatim mutanda est.

Nolo vos certam & statutam prandij

G 4 aut

aut cœnæ horam obseruare, quemadmo-  
dum superius abunde satis dictum est, ne  
consuetudo diuturna in naturæ habitum  
transeat, posteaquam huius consuetudinis  
intermissionem naturæ læsio consequatur.  
Imitatur enim naturam consuetudo, &  
quod consuetum est, id ipsum iam natura-  
le euadit.

Tempore æstiuo in frigidis, hyberno au-  
tem locis calidis ad focum luculentum ci-  
bum sumite, cœnaculis prius suffumiga-  
tionibus purgatis, quæ non ante ingredia-  
mini, quam suffitus plane fuerint extincti,  
ne pro odore fumum attrahatis.

Cum non omnibus vna eademq; victus  
ratio promiscuè congruat, ordine quo su-  
pra dictū est, cibos capite. Nonnunquam  
etiam per integrum diem ciborū usum in-  
termittite, quia per inediā vitia stomachi  
in crapula aliouē accidenti concepta de-  
pelluntur. Hac quoq; ratione corpora ve-  
stra famem, & inediā in profectionibus,  
& bellis tolerare consuescunt.

Cœnam prandio largiorem & uberio-  
rem ob temporis intercepti longitudinem  
adhibete, nisi morbis nocturnis, aut de-  
stillationibus affligimini.

A cibo sumto, neq; corpore, neq; ani-  
mo labore, faciem & os aqua frigida  
abluite.

abluite. Dentes raso ebore aut cornu cervino, & puro argento, aut auro expurgate. Post epulas ynam atq; alteram horam iucundis confabulationibus, aut mollibus deambulationibus tribuite. Vigilias in multam noctem non extendite, sed elapsos duarum horarum spacio, cubitum discedite. Quod si verò honesta negotia vigilandi necessitatem vobis attulerint, tum vi- cissim eò diutius somno indulgete, ut vigilia somni diuturnitate compensetur.

Antequam vos cubitum conferatis, caput, brachia, dorsum, & totum corpus leni frictione manuumque palpitatione à pueris vestris demulceri vobis curate: nisi ista manè fieri quis malit ad distributionem promouendam, cuius tempus est matutinum.

Hyeme ad focum sedentes vestes exuite, pedes ante focum siccate, fumo tamen & calore vitato, qui pulmoni & oculis maxime obest.

Hyberno etiam tempore lectum, linimenta & stragulam pelui ignito exicca ri facite. Calore enim externo fouetur interior, concoctioq; adiuuatur, præterea & humiditas omnis absimitur. Cæterum patre meus hanc consuetudinem improbabat, monens virum fortē, & ad res gerendas

rendas natum, non esse assuefaciendum ad huiusmodi mollietatem, quæ corpora nostra eneruaret.

Reliquis tegumentis corporis exutis, tunicam talarem lupinis pellibus subductam corpori circumdate. Id enim pellum genus, præterquam quod animalcula noxia nulla recipit, ut pulices, pediculos & eius generis alia, maximè calorem conseruat & fouet. Ideoq; huius usus maxime in bellis, itineribus & venationibus vobis conveniet, & interdum in defectum lectorum poteritis vti. Quoties igitur hac ueste talaris sumta cubitum contenditis, omnes cogitationes vestras grauiores, tam de rebus publicis, quam priuatis deponite. Nam cum membra omnibus curis vacua libere somno resoluuntur, concoctiones, reliquæque actiones naturales melius perficiuntur.

Mane verò surrecturi vnâ cum uestibus, cogitationes & curas pridianas resumite. Hoc præceptum pater meus frequenter in ore habebat, ideoq; tanto maiore dignum obseruatione vobis trado.

Antequam somnus vos opprimat, Deum ardentibus vocibus inuocate, vt vobis felicem & faustum concedat noctem, aduersus malorum spirituum insidias, ac vim vos

vos protegat ac defendat, largiaturq; vt  
naturalibus actionibus perfectis integra  
mentis, corporisque sanitas conseruetur.  
Singulis noctibus ad minus semel vrina  
emittatur, quæ matula excepta foras pro-  
iiciatur. Quæ autem circa exortum Solis  
redditur, vitro est excipienda, ex cuius in-  
spectione de statu corporum vestrorum  
coniecturam facere poteritis.

De nocte hianti ore dormite, corpus  
pro qualitate aëris probè tegite. Caput  
aduersus frigus lineo munite ituolucro,  
in cuius summitate sit foramen, per quod  
vapores exhalare queant. Nimia autem  
cooperitura caput debilitat resoluendo, vel  
replet attrahendo.

In dextro latere somnus auspicandus,  
in sinistro perficiendus. Resupinus autem  
decubitus semper cauendus est. Nam ho-  
minem mortuum repræsentat, & morbos  
periculosos generat.

Ab instituto nostro non alienum quoq;  
esse videtur, vt his adjiciatur, qualis hu-  
mor in corporib. nostris, tam nocte quam  
die sibi dominium vendicat, vt eo modo  
de accidentibus causisq; morborum iudi-  
cium facile fieri queat. Nam dominatur  
singulis sex horis proprius humor. San-  
guis à nona noctis usque ad tertiam diei,

Flaua

Flaua bilis siue cholera dominatur à tertia  
vsque ad nonam dici artificialis. Atra bilis  
siue melancholia à nona dici vsque ad ter-  
tiam noctis: A tertia noctis vsq; ad nonam  
noctis phlegma. Ita vt ferè nocte phlegma  
& atra bilis, Die autem sanguis & cholera  
dominentur. Crescit autem sanguis in ve-  
re, cholera rubea in æstate, Nigra in au-  
tumno, phlegma in hyeme. Hęc ideo mo-  
nere volui, vt si quis vestrum in morbum  
incidat, cognita morbi hora & humore in  
principio morbi dominante, cō facilius  
remedia quærere possit.

Cum dies critici in ægrotis ac vulnera-  
tis magnas sæpe mutationes ac præfigia  
de vita ac morte ostendant, illos etiam vo-  
bis annotare libuit.

Est autem dies criticus, in quo fit vehe-  
mens in morbis, in salutem, vel ad mortem  
mutatio. Et fit plerunque Crisis à morbi  
initio die 7. 14. 21. 28. secundum tamen  
Lunæ celeritatem aut tarditatem, & dies  
4. 11. 17. 24. à morbi initio plerūq; in-  
dicant de sequenti crisi, an bona vel mala  
fit futura.

Diebus autem criticis corpora' vestra  
medicinis purgantibus, aut acribus non  
grauate, nec sanguinis fluxum, sudorem  
aut aluum cohibete.

Non.

Nonnulli etiam obseruant dies Aegyptiacos ab Aegyptijs inuentos, opinantes quod qui in his agrotare incipient, vix aut nunquam evadant, quod mihi tamen non verisimile videtur. Ego nihilominus, cum Beda eorum mentionem faciat, eos subiecte volui. Sunt igitur hi: 1. & 7. Ianuarij, 3. & 4. Februarij, 1. & 4. Martij, 10. & 8. Aprilis, 3. & 7. Maij, 10. & 15. Iunij, 10. & 13. Iulij, 1. & 2. Augusti, 3. & 10. Septembris, 3. & 10. Octobris, 3. & 5. Novemberis, 7. & 10. Decembris.

## CAPUT XXVII.

DE DIAETIS SINGULIS  
septimanis instituenda.

**C**V M iā ostensum sit, quid singulis diebus sit agendum, reliquum est, ut ad septimanas conuertatur sermo. Postquam igitur ad virilem progressi fueritis ætatem, non inutile fuerit singulis septimanis, semel vti Theriaca Andromachi ad nucis auellanæ magnitudinem, aut Mytridato, quæ ego ex Belgico, quæ Venetijs deferruntur, ad nos transmitti curo. Nam non sine insigni valetudinis meæ commodo à teneris annis Theriacæ vsu delectatus sum. Nonnunquā etiam proderit sumere compositione-

positionem Antidotij, quod Cn. Pompeius  
in sanctuarijs regis Mytridatis deuicti in-  
uenit, cuius descriptio paulò post seque-  
tur. Interdum adhibebitis medicamentū  
Leonis X. quod imprimis laudo, & cum  
sit præseruatium etiam contra Pestem,  
huius descriptionem reliquis etiam medi-  
camentis contra venena inserui. Interdum  
verò etiam medicamentū Marsilij Ficini.  
Hæc omnia corpus leniter purgant, sed  
Theriaca & Mythridaticum constipant. In  
eundem quoq; vsum sumere poteritis vi-  
num sublimatum, quo Caroli V. Medicus  
vñsus est, ad mensuram quantitatis auella-  
næ, vt cum saccaro & mica panis in minu-  
tas & tenuissimas partes trita. Hoc vinum  
sublimatum etiam odorem iuuat. Non  
nunquam etiam discessuri cubitum deglu-  
tite aliquot grana Masticis, quia hoc inge-  
nio & memoriæ prodest.

M E D I C A M E N T U M M A R S I L I I  
Ficini, quod fouet præcipua membra  
& purgat nonnihil.

R E C. Cinamomi Ele&tissimi drach. iiiij.  
Chebularum Myrobalanorum,  
Emblicarum ana drachmas duas.  
Croci, rosarum drachmam vnam.  
Santalorum rubrorum drachmas duas.  
Corallo.

Corallorum rubrorum drachmam vnam.  
Saccari albissimi, quantum satis est.

Funde saccarum, aqua rosacea atq; suc-  
co Citri vel limonum, æqualibus scilicet  
portionibus, coquas suauiter. Deinde ad-  
de Musci tertiam drachmæ partem, atque  
Ambræ tantundem: Demum confice bo-  
los solidos, quos morsulos vulgo nomina-  
mus, auroq; inuolute.

### D E S C R I P T I O V I N I sublimati.

R E C. Cubebarum, Cinamomi, Ga-  
langæ, Caryophylorum, nucis myristicæ,  
& Zinziberis ana vncias tres, Salviæ libr.  
vnam & vncias duas: Hæc omnia macera-  
in duabus libris & quatuor vncijs aquæ vi-  
tæ sexies destillatae, atq; hæc leniter destilla-  
simul. Cum nuper hanc aquam vitæ com-  
ponerem, integrum vini amphoram, & sex  
congios ad hanc sumsi, sexiesq; destillari  
feci, cumq; inde demerem tantum, quan-  
tum reliquorum pondus esset, vix dimidi-  
us vini sublimati sextarius superfuit. Hoc  
vino sublimato M. Gallus Caroli V. Im-  
peratoris Medicus usus, vixit annos 129.  
Est autem calidissimum. Simplicia peracta  
destillatione possunt stomacho etiam ad-  
moueri vel imponi. Hoc vinum singulis  
septima-

septimanis sumatur mensura ad quantitatem auellanæ. Agit in naturas ob tenuitatem, vimque illam impartitur spiritibus, colliquat ob caliditatem vehementem, nec tamen membra calefacit ob substantiam rariatem. Hoc vino sublimato etiam manus & cutem poteritis imbuere.

M E D I C A M E N T U M , Q u o d  
vñsus est D. Hieronymus Brunsuuick, Me-  
dicus & Pharmacopola Argentinensis per omnem  
vitam suam, quam Deo adiuuante ad c x . an-  
nos illæsa valetudine produxit.

R E C . Cinamomi , Zinziberis , ana sel-  
quiunciam.

Nucis myristicæ, Caryophyllorum , pipe-  
ris longi,

Maceris, Galangæ, ana drachmam vnam,  
Diptami , Zedoariæ , Calami aromatici,  
Pimpinellæ, Angelicæ vomicæ , dra-  
chmam vnam.

Rhabarbari semiunciam.

Rhapontici drachmas duas.

Croci drachmam dimidiam.

Puluerizentur subtilissime , & addatur  
saccari libra vna & vñciæ pars , sed ita ut  
decoquatur saccarum secundum artem , &  
fiat confectio in tabulis. Cerebrum & me-  
moriam confortat, vertiginem prauasque  
melan-

melancholias tollit, sanguinem purificat & mundat, cor roborat, cibi potusq; appetitum generat, sedes medicas, naturæque commodas prouocat, tussiculosis & pthisicis mire confert: Apostemata calida & pectoris ulcera sanat, cordis districtio- nem dissoluit, omnibus alijs membris prodest, eaq; confortat.

Mane & vesperi quantitate maiusculæ nucis sumtum aduersus multos noxios & incognitos morbos præmunit vtentem, & præcipue ab acidis ructibus. quod est in multis expertum, præseruat.

Et quamuis hoc medicamentum ex optimis compositum est simplicibus: Tamen quoniam saporis est amari ( à quo natura mea valde abhorret ) rarius hoc vtor. Omne enim id quod à natura alicuius abhorret, id eidem inimicum atque minus conueniens esse arbitror. Quod tamen de homine sano intelligi volo.

Ex his verò, quæ vires augent & præseruant ab imminente senio, est Iulepus de vino & saccaro, vbi in tribus vini libris ponantur duæ libræ saccari, & fiat syrpus, recipiaturq; cum pura aqua. Nam vicem cibi ac potus gerit, cum in eo sint amica & accepta naturæ.

ELECTUARIVM CORDIS  
Petri Aponensis.

Hoc Electuarium conseruat totam nati-  
turam, & eam reddit hilarem, aufert la-  
stitudinem membrorum principalium, sub-  
uenit tristibus & melancholicis, iuuat pa-  
ralyticos.

R E C. Corallo rub. Macis, ossis de cor-  
de cerui, Ambræ Margaritarum, Crystalli,  
auri cocti, argenti meri, ossis eboris, sa-  
phyri, Rubini, Hyacinthi, ana drachmas  
quinque Balsami drachmas duas, Musci  
drachmam dimidiam, anthos, spodij, san-  
talorum, garyophil. galangæ, calamitz,  
aromatum cubebatum, Spicæ Nardi, cor-  
ticum physticorum, seminis Basliconis,  
cardamomi, piperis longi, baccarum lau-  
ri, pirethri ana drachmas tres. Storacis ca-  
lamitæ, Magnetis, Myrræ electæ, opij  
Thebaici ana drach. vnam. Se. pœoniz  
collectæ in nouissima ætate Lunæ, flor.  
camom. florum lilitagi, Samsuchi, Balsami-  
tæ, ameos, Aristolochiæ, anthos ana dra-  
ches. Croci orientalis drachmam dimid.  
Ligni aloës, papaueris albi ana drachmas  
duas, saccari quod sufficit. Dosis à 11.  
vſq; ad 111. cum vino calido.

R E S T A V R A T I V M.

REC.

REC. Conseruæ Rosarum vnc. vnam.  
Boraginis.

Violarum ana vnciam dimidiam.

Radicum cichorij conditar.

Citrinati conditi ana drachmas tres.

Spec. Diarrhod. abb. scrupulos duos.

Diambr. drachmam dimidiam.

Spodij vel spicæ Indæ,

Corallo. rub. præparat.

Margarit. præparat. ana scrupulum vnum,  
cum syrupo acetoso citri condit.

Moneo autem ne prædictis medicamentis simul aut semper, sed per vices, hac septimana hoc, altera alio vtamini. Varietas enim præterquam quod delectat, efficit, ne frequens & crebra consuetudo in naturam transeat.

Sed cum patri meo & mihi nonnunquam saliuia nocturno tempore ex ore fluere soleat, & vos etiam huic morbo obnoxios fore metuam, nonnulla remedia contra hanc passionem annotare libuit.

Si saliuia fluat propter calorem dissoluentem, curetur phlebotomia, abstinentia & vsu ciborum stipticorum: Sin fluat propter multitudinem phlegmatis, quod ego arbitror, curetur abstinentia, & digeratur materia cum Hyssopo bullito in Oximell. & purgetur cum hiera picra, friciturque

lingua & oscum Saluia & aurea Alexandrina, & reliqua, quæ desiccant corpus, applicentur.

Singulis septimanis præcidantur vngues, tā à digitis pedum quam manuum, pedes etiam semel lauentur pro qualitate aëris, in calida vel frigida aqua, in quam injiciantur Chamomelum, Hyssopus, Lauendula, &c. Et post lotionem aceto & salicet fricentur. In hyeme verò ad ignem excentur. Intelligatur autem hoc de illis, quibus lotio conuenit. Nam multis, utpote catharrhosis, in quibus pituita excedit, plus detrimenti quam commodi affert.

## C A P V T   X X V I I I .

D E D I A E T A S I N G V L I S  
mensibus seruanda.

**A**B SOLVITIS iam diebus & septimis annis, vt de mensibus quoq; pauca tractemus, ordinis ratio postulare videtur. Singulis mensibus secundum præscriptum Hippocratis & Auicennæ, bis est vomitus adhibendus, idque duobus continuis diebus, quod tamen ego non obseruo. Superfluitates enim, quæ ex nimia cibi & potius ingestione generantur, & alioqui propter immoderatum victum, in his frigidis regionibus

gionibus sunt frequentes & copiosæ, per vomitum rursum educuntur. Propterea cum vos crapula onerati fueritis, vomitus remedio nimiam repletionem subleuandam esse memetote. Quod ad me attinet, quoties modum in cibo & potu excessi, bis singulis mensibus vomere consueui, interiecto tamen inter singulas vices aliquo dierum spacio seu interuallo, ita, ut quod prima vice relictum est, altera ejiciatur. A vomitu oculi, dentesq; aceto & vino, vel vino austero siue aqua rosacea, siue ea, quæ supra descripta est, eluantur. Aestiuis mensibus aqua frigida corpus lauetur.

C A P V T XXIX.  
DE QVATVOR ANNIS  
temporibus.

**A**NNVS à veteribus in quatuor est digestus tempora, hanc (vt opinor) ob causam, quod à sole cæterisq; stellis ea in alias atq; alias qualitates pederentim permutentur, quemadmodum Ver in principio in humidam, in medio in temperatam, in fine verò in calidam. Aestas in calidam & sicciam: Autumnus in sicciam & frigidam: Hyems verò in frigidam & humidam

qualitatem conuertitur. Singulis enim ferè diebus ac noctibus sentimus quatuor anni qualitates, manè frigiditatem & humiditatem, ante meridiem temperaturam aliquam, post meridiem caliditatem & siccitatem: Vesperi verò siccitatem & frigiditatem, idque minus & magis secundum anni tempora. Primum igitur singularum anni partium mutationes enumerabo. Deinde, quæ victus ratio in singulis sit instituenda, breuiter docebo.

## CAPVT XXX.

## DE VERE.

**V**ER incipit, quando sol ingreditur signum Arietis, quod ferè fit decima die Martij. Et eo tempore dies æquantur, frigora hyberna minuantur, terræ pori iadū dum clausi & frigore constricti aperiuntur, dissoluuntur calore niues, humiditates ad arborum summitates extolluntur, radices & herbæ latentes in terra producuntur, virent prata, & varijs colorum picturis ad certamen usque luxuriant, induuntur nouis floribus arbores, lasciuunt pecudes, generantur animalia, suauiter modulantur volucres, resonant philomæ, deniq; omnis terræ superficies amissum frigore

frigore decus & ornamentum, cunctaque  
animantia vires pristinas recuperant.

Ineunte igitur vere minus comedere,  
plus verò bibere, paulatim ab assis ad eli-  
xa progredi, oleribusq; paucis vti, inpri-  
mis autem carnibus vitulinis & hædorum  
velci, atq; à crebris & longis iciunijs absti-  
nere expedit. Et quia Ver est temperatum  
& saluberrimum, moderatissima quoque  
victus ratio tunc est fuscipienda, vt in tem-  
perato sanitatis studio corpus retineatur.

Tempore verno sanguinē mittere, qui  
humor tunc dominatur, purgationesq;  
adhibere conuenit, ea tamen lege & con-  
ditione, vti supra scriptum est. Cum autem  
Ver in principio & fine non nihil in humi-  
ditate & caliditate excedat, hæc quoq; ob-  
seruatio, vt circa vi&tus vitæque rationem  
non inutilis, haud est negligenda.

## C A P V T   X X X I.

## D E   A E S T A T E .

**A**STRAS incipit quando Sol ingreditur  
primum gradum Cancri, quod fit fe-  
rè 12. Junij. Et hoc tempore dies longiores  
notib; efficiuntur, calores intenduntur,  
venti leniter agitantur, maria conqui-  
scunt, fructus & flores ad maturitatem

perducuntur , aues canore maximo resonant, apes mellificantes floribus varijs reficiuntur, nascuntur serpentes , & funduntur venena.

In æstate cibis magis demendum , portioni adiiciendum , cibis non vtendum nisi elisis ac frigidis, vt à calore & siccitate corpus vindicetur, vnicè enitendum. Tunc potus vester sit cereuisia actu & qualitate frigida , nec tamen frigus adeo sit intensus , vt corpus inde alteretur.

Aestiuo tempore dominatur flaua bis. Itaque tunc omnis purgatio sanguinis que missio cauenda est , in diebus præser-tim canicularibus , vulnerum etiam curatio tum est difficilis & periculosa.

Aestate induere oportet vestes oleo imbutas : Item lente ambulare, nisi per æstus iter sit faciendum. Cum autem ætas sit calida & sicca , ad humida & frigida tunc est declinandum.

## C A P V T XXXII.

## D E A V T V M N O .

**A**V T V M N V S incipit, quando Sol interreditur primum gradum libræ, quod fit ferè 13. die Septembris. In hoc tempore dies & noctes æqua vice labuntur, noctes etiam

etiam crescunt, dies decrescunt, mutantur tempora, aér frigescit, venti commouentur Septentrionales, flumina crescunt, fontes diminuuntur, folia arborum marcescunt, destituuntur arbores fructibus, demetuntur & percipiuntur ex agris fruges, facies terræ pulcritudinem suam amittit, volatilia in calidas regiones se recipiunt, animalia suas appetunt cauernas, serpentes foueas faciunt. Per Autumnum cibo paulò pleniore ac sicciori utendum, min<sup>o</sup> quidem sed meracius bibendum, fugiendumq; frigus matutinum & vespertinum, cum illud tempus propter cœli varietatem & intemperiem prorsus in frigore & calore sit inæquale. Veneris in primis usus tunc fugiendus. Nam corpora eo tempore modò frigore, modò calore intemperato afficiuntur, ideoque meritò perhibent autumnum mortalibus esse lethiferum.

Fructus omnes sunt cauendi, ne malus succus ad aëris intemperiem accedens, totū corpus corrumpat. Dominatur enim tunc atra bilis & cholera nigra. Estq; Autumnus frigidus & siccus, quare ad calida & humida tunc est declinandum.

## C A P V T . XXXIII.

D E H Y E M S.

H 5

Hyems

**H**YEMS incipit quando Sol ingreditur primum gradum signi Capricorni, q<sup>uod</sup> plerunque fit 12. Decembris. Tempore brumali noctes producuntur, dies abrum-puntur, inualescunt frigora, exasperantur venti, niues & aquarum inundationes su-bitò oriuntur, terra glaciali frigore con-stringitur, cadunt arborum folia, maior pars animalium in ventre terre & caueris montium prae nimio frigore & humiditate latet, obscuratur aer, tremescunt pecora & iumenta, debilitantur virtutes corporu.

Hyeme quidem quam plurima comedere, quam paucissima bibere, & fortiter se exercere conductit. Virtus enim ventri-culi tunc fortiter & ad coquendum aptior est. Utendum vino quam meracissimo, ci-bis calefacentibus & exiccatibus, carni-bus & piscibus assatis, oleribus autem quam paucissimis. Potus vester hyberno tempore sit tepidus.

Frigus matutinum ac vespertinum summa diligentia cauete, ac in primis à capite, ceruice ac pedibus arcete. Hyeme celeri-ter ambulare prodest, tum currere, tum iuctari. Exercitium quoque corporis tunc utile est, quemadmodum & moderatus li-citusque Veneris usus nullam corporibus noxiā infert.

Hyems

V A L E T V D I N E .     III

Hyems quoniam frigida & humida est,  
ad contraria quoque declinandum nobis  
esse monet. Pituita enim hyeme augetur.

C A P V T   XXXIIII.

D E   A N N O   I N   G E N E R E .

E X P E D I T I S iam quatuor anni tem-  
poribus, pauca in genere de anno di-  
cemus.

Quoties singulis annis dies vester nata-  
litius recurrit, moneo ut illum cum amicis  
& propinquis iucundè & hilariter cele-  
bretis. Deoque trino & vni gratias agatis,  
quòd mentis corporisque vestri sanitatem  
per decursum hactenus vitæ spacium be-  
nigne seruauerit. Deinde intimis animi vi-  
ribus id conniti vos volo, ne nobile vestrū  
corpus ad deteriora delabatur. Singulis  
quoque annis directiones, profectiones,  
themata & figuræ reuolutionum diligenter  
inspicite. De multis enim rebus inde  
coniectura fieri potest.

Cum ad naturam & grandæuam pro-  
uecti fueritis ætatem, labores tam animi  
quam corporis immoderatos fugite: Laetate  
humano ac caprino, nec non sanguine su-  
um, vestrum senium fouete.

Versamini cum fortunatis ac iuuenibus.

Ex bo-

Ex bonis enim naturis, tanquam ex bono vicino aliquid boni deriuatur.

Mementote familiaritates inire eorum, quibus gratiae cœlestes affluunt: Quod ex bonis animi, corporis & fortunæ cognoscetis. Sicut enim odor ex musco, sic ex bono vicino, boni nonnihil exhalat in proximum ac perseverat infusum. Deniqz effrenatos, impudentes, infelices ac malignos procul fugite, contraria verò ratione consuetudinē frequentem, continuumque commercium, felicium excellentiumque hominum amate.

Singulis annis lauandum est corpus in aqua frigida, ut suprà dictum est, præcipue tamen aestiuo tempore, cauendumqz ne id fiat ab exercitatione magna, & ne aqua auditus meatus ingrediatur. Nam ijs solis aquæ frigidæ lotio noxia est. Prodest etiam singulis annis caput ter, aut ad summum quater frigida lauare, & propterea hoc loco rationem laundi caput frigida annexemus.

Et primum quidem lauetur lixiuio tepido, vel leuiter calido: Inde aqua frigida fontana vel putealis ex alto magis quam propè capitū instilletur, paulò post verò copiosior superfundatur ad quantitatem trium aut quatuor sextariorū, prout quisque

que perferre poterit. Deinde caput linteolis frigidioribus siccetur. Quamuis autem hæc lotio repentina horrorem incitat non leuem, videaturque homo totus corrigescere, multa tamen & magna commoda adfert. Coacto enim intus calore concoquuntur cruda, excrementa digeruntur, spiritus temperantur. Et hæc lotio caluitum nondum præsens & canos retardat, caput & sensus iuuat, & ad omnes motus promptiores reddit. Similia enim iuuantur conseruanturq; à similibus. Præterea inspersio frigidæ, in caput & balneū ex tepida pedibus adhibitum, mirifice prodest, lotioque manuum cum frigida à cibo. Omnia hæc oculis conducunt, & sunt salutaria, ut sæpe iam dictum est.

Hanc consuetudinem lauandi caput frigida, maximè hi, qui ex catharro laborant obseruent. Ego sane hanc lotionem sæpe adhibui, neque ullam læsionem, sed maximas vtilitates inde percepi: cum enim antea calida lauarem caput, nulla adhibita frigida, meatus permanebant aperti, efficiebaturq; caput cuilibet iniuriæ noxiū, vnde grauedines & distillationes fermè sequebantur. Quæ res me prorsus à lauando deterruit, sicut & patrem, donec tandem in Hieronymi Cardani de aqua opusculis

sculum inciderem, & Celsi consilium de  
hac frigida lotione penitus cognoscerem.

## CAPVT XXXV.

## DE ANNIS CLIMACTERICIS.

**N**E annos Climactericos siue decreto-  
rios omnino silentio prætereamus,  
sciendum est horum annorum obserua-  
tionem non esse superstitionem, sed ex usu &  
experientia natam. Certis enim quibusdā  
annis insignes mutationes accidere vide-  
mus: sic septenarius annus vitæ est Clima-  
tericus, omnibus periculosus. Hic enim  
magnam & evidentem in corpore muta-  
tionem ad fert. Nam singulis septenis an-  
nis ordo planetarum reuertitur à H, qui  
plerumq; nobis est peregrinus, & H inter-  
fector mortalium peruenit ad quadratum  
loci contrarium naturæ signi, vnde est  
egressus. Vnde fit, quod septimo anno elab-  
buntur & renascuntur pueris dentes: de-  
cimo quarto accedit pubertas. Et quando  
completa fuerit septem annorum hebdo-  
mada, id est, septies septem anni, hoc est,  
anno quadragesimo nono, iam maturescit  
in homine prudentia, & fit ætas perfecta.  
Cum verò ad decadas septenas, id est, ad  
LXX. annum fuerit peruentum, tunc me-  
ta vi-

ta viuendi est peracta. Et videamus plures  
præstantes viros annis climactericis esse  
extinctos, vt Orpheus, Aristotelem, Cice-  
ronem, Demosthenem, Scipionem Afri-  
canum, nostraque memoria Fridericum I.  
& Christianum II. Reges Daniæ.

Fuit quoq; septimus annus diuinæ insi-  
tutione Sabbatarius, quo nec agros aut  
vineas colere, nec culturam terræ exerce-  
re licebat, institutus ad memoriam quie-  
tis diuinæ. Quemadmodum & quinqua-  
gesimus quisq; annus dicebatur Iubilæus,  
post septem annorum hebdomadas cir-  
cumactus, id est, post quadragesimum no-  
num, qui est Climactericus Hebdomati-  
cus, & continet septem hebdomadas.

Faciunt quoq; mentionem annorū Cli-  
mactericorum Philo Iudæus, & D. Augu-  
stinus: Item Censorius & Gellius. Cicero-  
nem etiam annos Climactericos obserua-  
se, inde constat, quod in Somnio Scipionis  
ait: Cum ætas tua septenos octies Solis an-  
fractus, redditusq; conuerterit: duo quæ hi-  
numeri, quorum uterq; plenus, alter alte-  
ra de causa habetur, circuitu naturali sum-  
mam tibi fatalem consecerint, &c. Hic  
fuit annus climactericus Scipionis quin-  
quagesimus sextus. Et paulò post eodem  
loco Cicero ait: Septimum numerum re-  
rum

rum omnium ferè nodum esse. Sic & Hippocrates ætatem hominis septenario diem cum numero constare ait.

Annus quartus est etiam consideratione dignus, quoniam medium in septenario tenet: Item Nouenarius. Et habent hi anni rationes, quemadmodum apud Medicos dies decretorij & indicativi. Dicunt enim Medici quartum à principio morbi indicem esse septimi. Hæc obseruatio non est aspernanda. Scribit enim Augustus Imperator ad filium: Lætare mecum fili, transgressus enim sum omnibus senibus periculosum annum sexagesimum tertium. In hoc enim septenarius & nouenarius concurrunt, & propterea senibus plerunque est fatalis. Estq; annus Climactericus aut etiam Enneaticus, quemadmodum & annus quinquagesimus sextus est Climactericus, quamuis hic non ita ut superior senibus extimescendus. In hunc enim septenarius & quaternarius tantū coincidunt.

Ego arbitror, uti septimo aut nono mense nati iustam vitæ perfectionem obtinent: ita contingere quoque ut vita plurimorum hominum ( diuinæ tamen maiestatis salua prouidentia, & rerum omnium ad libitum gubernatione ) ad Climactericos usq; annos, in quibus septenarius nouenariusq;

uenariusque numerus in sese quasi in cyl-  
clum recurrunt, producatur, ibi⁹ absolu-  
natur & finiatur. Cui non absimile & illud  
est, quod egomet multorum hominum  
obitum compertum habeo, quod graui &  
periculoso morbo decumbentes, ut pluri-  
mum animam reddere soleant: Luna in  
gradu ascendentे, vel media cœli domo  
existente, raro in quarta vel septima do-  
mo, nunquam ferè in reliquis, quod & à  
me & ab alijs multoties est obseruatum.

Annus quinquagesimus sextus in no-  
turnis genituris propter frigiditatem h  
duplicatam, & sexagesimus tertius in di-  
urnis ob fccitatem ♀ & ♂ vtroqz subscri-  
bente, iam ætate frigida & sicca maximè  
periculosi sunt secundū Cardanum. Quo-  
tiescunqz igitur huiusmodi anni Clima-  
terici vel Enneatici instant, vel nonnulla si-  
gna futuri morbi apparent, vt sunt lassitu-  
dines spontaneæ membrorum, tormina  
genuum, lumborum dolor, tenebrositas  
oculorum, grauitas superciliorum, tinni-  
tus aurium, cibi fastidium, sudor multus  
in somno, sine aliqua manifesta causa, osci-  
tationes & pandiculationes insolentes,  
Item consuetarum excretionum suppres-  
sio, vel immodica euacuatio, tunc Deum  
immortalem precib⁹ ardentibus inuocate,

Astrologos & Medicos peritos consulite, prudentiam in omnibus actionibus adhibete, temperantiam in cibo & potu, & rebus ad vitam necessarijs exercete. Oratione enim ad Deum, syderalis doctrinæ cognitione ac euentuum quorundam prævisione, medicamentorum conuenientium usu, ac in rebus gerendis prudentia & circumspectione, multi graues casus evitantur, ac sæpe determinatus nostræ vitæ finis prorogatur. Sunt autem anni Clima-  
terici, 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63.  
70. 77. 84. 91. 98. Enneaci hi, 9. 18. 27.  
36. 45. 54. 63. 72. 81. 90. 99.

## CAPUT XXXVI.

DE RATIONE VICTVS IN  
itineribus ac profecitionibus pro-  
bè instituenda.

**P**O ST Q V A M nunc de victus ratione singulis anni temporibus instituenda, pauca egerimus, reliquum est, vt de itinerantium diæta verba faciamus. Si igitur, ô filij, exteræ & lōginquæ regiones vobis ad-eundæ fuerint, mementote primò lente in grediendum esse, deinde festinantius pro- perandum: In fine autem moderatius. Id & nostris corporibus & iumentis prodelli.

Aluus

Alius vester sit laxus, quod effici potest, si syrpus acerosus, aut oximel simplex, aut ouum molle manè sumatur. Pauxillum Rabarbari cum Saccaro rosaceo etiam vim laxandi haberet: Idem præstat serum lactis, trium aut quatuor heminarum mensura cum sale & melle sumta. Quemadmodum & puluis Enulæ Campanæ & Cinamomi. Non improbo quoq; suppositorium ex lardo fumo indurato. Aut quatuor fucus, vel etiam suppositoria ex melle & sale composita, quæ vbi ventriculus non sustinet, medicamenta per os sumta aluum deiiciunt.

Si quis forte in itinere equo præcipitatus interiores corporis partes læserit, utatur Ambra, id est, Walradt/ in iuscule cœreuiario calefacto manè surrecturus, vel vespere discessurus cubitum, ad quantitatem nucis auellanæ. Sequens etiā vnguentum contra læsionem internarum partium est valde utile.

### V N G V E N T V M C O N T R A L A E- SIONEM SIVE CONTUSIONEM PARTIUM INTERNARUM.

R E C. Pimpinellæ, Lauendulæ, Spicæ Nardi, Rutæ, Hyssopi, Salviæ, Pyrethri, Pulegij, sœniculi, filiginis agrestis, millefolij,

folij, prunellæ, ibisci, consolidæ maioris,  
 auryn, amaraci, verbenæ, abrotani, epa-  
 ticæ, melissæ albæ ac fuscæ, angelicæ sati-  
 uxæ, veronicæ, fœnigræci, fragariæ, clem-  
 tidis, cordialis, pedis leonis, rorismarini,  
 foliorum linguæ ceruinæ, tormentillæ, be-  
 tonicæ, ana manipulum vnum. Hæc o-  
 mnia cultello in tenuissimas particulas  
 comminuta, injice in lebetem, & affunde  
 butyri optimi in Maio confecti, & per co-  
 sturam à sale purgati libras 28. & hæc si-  
 mul ad ignem ex carbonibus confectum  
 probè decoque, tantisper donec virtus  
 egrediatur, deinde cum hæc per mundum  
 linteolum expresseris, affunde olei laurini  
 libras duas, & habebis præstans vnguentū.  
 Hoc valet contra internam læsionem, ex  
 casu aliquo ortam, quantitate nucis auel-  
 lanæ in calido iuscule cereuisiario sum-  
 tuni. Si primò non medetur, vsus eius  
 bis aut ter est iterandus, quin etiam exter-  
 næ corporis partes affectæ apud ignem  
 lentum sunt inungendæ.

## C A P V T   X X X V I I .

P R A E C E P T A   C O N T R A   F N.  
 iuriam frigoris, & remedium ad cu-  
 randam ambustionem.

Quoniam

**Q**UONIAM verò in his septentrioni  
subiectis regionibus frig<sup>o</sup> magis do-  
minatur quàm calor, & hyberno tempo-  
re s<sup>æ</sup>pe nobis in venationibus aut castris  
cubandi necessitas adfertur, quemadmo-  
dum etiam proximè præteritis annis in in-  
feriori Germania brumali tempore castra  
statiua sub dio constituta sunt, de frigoris  
& algoris iniuria propulsanda pauca ad-  
tingam. In primis autem ad frigus amo-  
uendum vestes sunt comparandæ, quæ non  
citò corrumpuntur, quia non semper in  
expeditionib. has mutare possumus. Sta-  
tim à tenera ætate frigori assuefacere fese  
expedit. Id enim ad sanitatem & ad res  
bellicas gerendas, plurimum momenti  
adfert.

In magnis algoribus capitis, manuum  
ac pedum vigor conseruetur, quo illæ so-  
vniuerso corpori sua constat integritas.

Frigus facile quidem à quibuslibet cor-  
poris membris vestium, aut ex panno aut  
ex hirsutis pellibus præsertim ceruinis  
concinnatarū obiectu arcere licet. Capiti  
verò nullorum animalium pelles salubres  
sunt, sed pannie potius, aut bombycini  
galeri & pilei sunt inducendi.

Citius tamē frigiditas à calcaneo, quàm  
à cerebro ad corp<sup>m</sup> penetrat.

Cursus, motus, manuum pedumque  
concussio in summo frigore prodest.

Si quis vultum manusque aqua frigida  
mane lauat, & deinde chirothecis probet  
tegit, primò quidem aliquantulum perfri-  
geratur, mox vero amplius corpore ca-  
lescat.

Frigus enim meatus cutis constringit,  
& sic nos ab externo frigore tutos reddit,  
prohibetque ne calida substantia, quae intus  
retenta, suapte natura calorem auget, dif-  
fluat ac dissipetur. Sordes item, quae fri-  
gus quoque augmenta pedibus abluere, chi-  
rothecas & lineos soccos vino sublimato  
aliquantulum imbuere confert. Quemad-  
modum hoc vini genus vim calefaciendi  
totum corpus obtinet, si admixtis calidis  
aromatibus bibatur. Ad idem valet, co-  
medere nuces muscatas, Zinziber, cala-  
num aromaticum; oleis, vnguentisque cor-  
pus fouere non est inconueniens: allium  
& nuces etiam ad arcendum frigus mira-  
bilem habent proprietatem, praesertim, si  
quis haec duo in iure carnium contusa co-  
medat.

Ex vrtica & oleo factum linimentum cum  
pauco sale tuetur partes corporis ab atro-  
ciissimo frigore: valet etiam ad ulcera a ge-  
lu contracta: si quis nolit pedes vel manus  
a fri-

à frigore offendit, pinguedine vulpis inungat.

Quibus verò rationibus medicina facienda sit, si aliqua extrema pars corporis pene sit emortua, mox addam.

Probatum itaq; confirmatumq; est experientia, si quispiam membra gelu & frigore stupentia habuerit, nō igne aut aqua calida, siue tepida calorem remoueri, sed inde magis putrescere & excidere. Frigida autem si lauentur, paulatim ijs pristinū restitui vigorem. Galenus ad algores intensos, & ex his contractos dolores usus est Euphorbio, quod cum oleo triuit, ceramq; immiscuit liquatam.

Nonnulli contra frigoris adustionem præcipiunt loca affecta ad spacium dimidie horæ detinere in aqua, in qua stercore equorum, auena pastorum sint decocta. Alij membris ex frigore adustis combustæ pellis leporinæ cineres inspergunt, nonnulli rapam, aut pomum tostum calidum applicant. Quidam felle suillo loca affecta inungunt.

Quod si cui digiti manuum pedumque nimia frigoris adustione etiam denigrati fuerint, ita ut plane stupescant, animum propterea tamen non abijciat, sed sanis consilijs & remedij occurrat.

Magnam enim natura & ars vim habet. Memini proximè præterita hyeme Caium Alefeldium , cui ambo pedes frigore adusti erant , sumta quadam potionē vulneraria, cuius descriptio mox sequitur , effeciisse , ne damnum latius serperet , cum omnes Chirurgi de eo desperarent , quod articulos pedum frigore penè emortuos esse , & putredine quadam decidere vide rent. Et quamuis per integrum anni spaciū pedes ipsi nō fuerint consolidati, tamen nunc incedere vtcunq; potest.

### R E M E D I V M A D C V R A N - dam ambustionem.

Accipe duo linteola munda , quorum hoc lacteo cremore, qui dicitur Germanice Rom/ illud verò sero butyrino imbue, & parti læsæ singulis diebus ter applica, donec feruor interior refrigeretur. Deinde lardo porcino masculino , auenam nec non vnam aut alteram assulam infige. Hæc incende , & sic porcinā pinguedinem ignitā in vas aquæ puræ ex alto cadere facito. Deinde sume sex ouorum vitellos abiecto albumine , quibus adde parum prædicti lactei tremoris , & deinde pinguedinem lardi liquatam ac supernatantem adiace , & hæc vnā probè decoque. Inde fieri empla

emplastrum, quo ter de die partem affe-  
ctam inunges, ac breui eam sanam reddes.  
Quod si linteola cuti tenaciter adhæserint,  
imbuas hæc butyro non salito, & facile in-  
de resoluentur.

Ad refrigerationem prodest etiam cor-  
tex tiliæ rasus in aquam, donec inspissi-  
tur, parti vstæ sic applicatus.

## C A P V T XXXVIII.

D E S C R I P T I O N E S M E D I C A-  
mentorum quorundam ad vulnera  
externa curanda vtilium.

S E Q V I T V R nunc eius potionis vul-  
nerariæ descriptio, cui vna eademq; o-  
pera alia quædam emplastra, linimenta &  
olea, ad curanda vulnera egregiè vtilia sub-  
ijcere placuit, vt his, si opus fuerit, cōmode  
vti possitis in bellis aut alijs profectionib.

P O T I O V V L N E R A R I A, Q V A  
vulnera mirum in modum curantur.

Accipe duas mensuras cereuisiæ vetu-  
stissimæ, injice manipulum Clematis siue  
Peruincæ, cauliculum artemisiæ rubeæ,  
paulum herbæ, quæ dicitur Rodicheil/vel  
in defectum huius sume meram peruin-  
cam, decoque ad medietatem in vase fi-

Et illici, operculo probè tecto. Deinde exco-  
la in ollam lapideam siue lagenam, sic ut  
orificium eius probè obstrui possit, ne aër  
ingrediatur, postea vñsi serua. Ex hac po-  
tione dabis homini vulnerato siue læso  
mane ieuno ventriculo, in meridie post  
sumtum cibum, à vesperi cum discessurus  
est cubitum. Singulis vicibus ad quantita-  
tem trium cochlearium, iubebisq; vt læsus  
postea duabus aut tribus horis abstineat à  
cibis, & quoties inde biberit, paululum in-  
stillet in vasculum, & hoc vulnus abluat.  
Folium etiam brassicæ rubrum aut maxi-  
mè fuscum liquore huius potionis imbu-  
tum vulneri imponat, ita tamen vt asperi-  
us folij latus versus vulnus sit cooptatum,  
quod linteolo firmiter inuoluatur. Quod si  
vulnus poterit cōstringi acu, fiat id quoq;  
ne magna cicatrix inde remaneat, alioqui  
nihilominus tamen vulnera consolidat  
hæc potio.

A L I V D C A T A P L A S M A  
præstantissimum, quod cum in comitatu  
Tyrolensi apud Carolum V. Oenoponti commora-  
remur, Iohannis Friderici, quondam Saxoniæ Ele-  
ctoris Chirurgus, Illustrissimum Holsatiæ Ducem  
Adolphum docuit, & contra quemuis ictum,  
& ad vulnera à tormentorum globulis  
illata, mirabilem curandi  
vini habet.

REC.

Rec. Galbanum,  
 Armoniacum,  
 Opopanacem,  
 Bdellium,  
 Ceram,  
 Oliui, Baumhyls libras duas.  
 Argyritis siue argenti spuma preparata.  
 Silberglet lib. j.

Olei laurini vnciam dimidiam.  
 Myrrhae,  
 Thuris,  
 Mastichis,  
 Aristolochiae,  
 Terræ cadmiae, siue lapidis calaminaris  
 præpar. Galmeiſ vnciam j.  
 Camphoræ vnciam dimidiam.  
 Terebinthinæ vnam drachmam.

Redige ad puluerem, quem fac igni ex-  
 candescere, & quicquid dissoluendum est,  
 dissolute, & in morem cataplasmatis forma  
 modo sequenti.

Quatuor gummi macera nocturno tē-  
 pore in aceto acerrimo ex vino confecto,  
 in vase ex orichalco fabrefacto, aut olla in-  
 crustata, ita ut acetum quantitatem gumi  
 excedat, postea decoque gummi tantisper  
 donec sordes, excrementa aut ligna ab ijs  
 separentur. Deinde exprime, siue excola  
 per mundum linteum in cacabum aut le-  
 betem,

berem, & gummi iterum coque usque ad consumtionem aceti, & donec gummi & lebete segregentur.

Fac colliquescere oliuum & cerasi in pelui ex orichalco, immitte argyritim sive spumam argenti & versa ruficula, vt argyritis in fundum subsidat, & cum calorrem fuscum induere cæperit, fac periculum cultro lato aut spatula. Quod si non adhæserit cultro tenaciter, sed inde resolutur, perfectæ decoctionis est signum. Ab igne igitur remoue statim, & paululum infrigidari sinito, non tamen nimis citò. Postea de quatuor gummi maceratis in aceto, singulis vicibus ad quantitatem fabæ vel nucis auellanæ, immitte in decoctū cataplasma pedetentim, donec gummi prorsus ingressa fuerint. Nam si simul injicerentur, cataplasma nimis ebulliendo ascenderet, fortassis etiam effunderetur. Verum ad maiorem cautelam peluim cu aqua in promptu habeto, vt si nimis bulliat, supra aquam teneri & infrigidari possit, illudq; rursum emplastro adjice, quod in aquam effusum est. Et cum gummi plâne in emplastrum ingressa fuerint, cocturam eius de integro repete, paruim perque decoque. Deinde adjice Myrrham, Mastichen, Thus, Terram Cadmiam, id est,

Galmei

Galmeisen/Aristolochiam. Redige iterum  
in puluerem tenuissimum paulatim supra  
ignem, non nimis calidè tamen, ne pulue-  
res ardore conflagrent vel consumantur.  
Extremò injice Terebinthinam & oleum  
laurinum, & cum plane ab igne remotum  
& infrigidatum fuerit, adiice Camphoram.  
Deinde effunde in aquam calidam donec  
aptum efficiatur, vt manibus tractari &  
subigi possit. Postea macera oleo artemi-  
siæ, vt nitidum & purum reddatur. Im-  
mitte in pellem hinnuli bene præparatam.  
Tunc ad 40. aut 50. annos vsui conseruari  
potest. Conducit hoc cataplasma aduer-  
sus omnia vulnera sclopetaria, contra iectus  
& vulnerum inflammationem.

I N S I G N E C A T A P L A S M A  
vulnerarium, contra quemuis iectum, quo  
vñs est Christiernus II. Rex Daniæ vñà cum se-  
quenti Balsamo & puluere. Nam hæc omnia in  
libris eius medicinalibus post mor-  
tem sunt inuenta.

R E C. Ceræ vncias tres cum semisse.  
Colophoniæ seu picis

Græcæ,  
Aschenschmalsz/ } ana sesquiunciam.  
Mumiæ,

Myrrhæ vnciam vnam.  
Minij vnciam dimidiæ.

Corallo-

Corallorum alborum drachmas tres.

Magnetis vnciam vnam.

Ceram vnā cum colophonia primum dissolui facito, deinde mumiam adjice, postea das Aschschmals. Hæc ad lentum ignem collocato & probè versato: Deinde reliquis quoq; prædictis speciebus iunctis ad lentum ignem paulisper stare finito, probè frequenterq; moueto, sæpe etiam periculum facito, num satis sit decoctum, & in fundo sublidere incipiat. Stillæ ex alto guttulas aliquas ex calida spatula in frigidam. Quod si illud infrigidari & spatula adhærescere senseris, ab igne remoueto, tam diuq; versato, donec sua sponte sit frigescatum, & in solidam coëat massam, ne sequentia tria gumini in eo adurantur. Adde insuper Thuris & Mastiches anunciam vnam; Camphoræ sesquiunciam, & in olla tam diu moueto, ut infrigidatum duritiem contrahat, & manibus tractari prædictoque adipe subigi possit. Et hoc modo cataplasma rite paratū habes: quod si igitur vulnus inflictum est recens, panno lineo crassiori illinito & parti affectæ applicato. Quibuslibet etiam vulneribus, siue cæsim gladio fecante, siue punctim mucrone sint inficta, hoc cataplasma recte adhiberi potest.

Alia

## ALIA POTIO VULNERARIA.

REC. Limonij sylvestris, id est, Wint-  
tergrün / & Betonica ana drachm. vnam.  
Sanicula, Sanicula / & pedis leonis, id est,  
Sinnua, ana drachmam dimidiam, cum  
duabus mensuris vini in noua olla vitreata  
firmiter occlusa, quæ farina subacta probè  
obturetur. In medio autem operculi foramen  
relinquatur, per quod vapor egredia-  
tur. Coctura huius potionis ad spaciū  
duarum horarum continuetur. Ex hac po-  
tione homini sauciato singulis diebus ma-  
ne & vesperi ad quantitatem vnius coch-  
learis exhibe bibendum, & loco affecto  
brassicæ folia vel præcedens cataplasma  
impone.

P R E C I O S V M O L E V M B A L-  
faminum, quod instillari potest vulneri-  
bus, quæ non capiti, sed alioqui corporis  
partibus sunt inficta.

Accipe olei rosati vncias nouem.  
Rebaræ minutim contusæ vnc. sex. Hæc  
firmiter contexta in ampulla siue lagenæ  
stannea per tres dies stare facito. Deinde  
lagenam vna cum prædictis in balneum  
Mariæ immittito, & ad horæ medietatem  
probè bullire sumito. Postea in lagenam in-  
iice Mastiches subtiliter contusi drach. vi.

Item

Item Thuris, bdellij, Opopanacis, Camphoræ, ana siue partes æquales vnciam diuidam, postea illud oleum per mundum paniculum laneum excolato, ita ut omnis virtus prædictarum specierum inde exprimatur, habebis que in hunc usum paratum oleum præstantissimum.

RATIO CONFICIENDI PVL  
ueris utilis contra dissektionem nerui  
alicuius, qui à Chirurgo est  
conglutinandus.

REC. Oculos Cancri, in subtilissimum puluerem comminutos in paruo linteolo. Hunc puluerem neruis insperge, & siccis fascijs ex linteolo confectis, locum obliga, ne humiditas aliqua ad neros penetrare possit. Hanc ligaturam per spacium 24 horarum intactam relinqueto. Elapso prædicto temporis spacio, Chirurgus neruum inspiciat, ipsiusque conglutinationem exploret, & deinceps vulnus illud calidis vinculis deliget instar alterius vulneris recentis; & post diem unum aut alterum ligaturam dissoluat.

RATIO CERTA, QVA FLV  
xus sanguinis ex quovis vulnere erumpentis cohiberi potest.

Ineunte

Ineunte vere, cum ranæ semina prima siue oua projiciunt, tunc accipe crassioris linei panni vlnas tres vel quatuor, plus minusue quantum satis est. Hunc pannum cum huiusmodi ouis ranarum probè ablito, solique siccandum exponito. Deinde secundo tertioque lotum, similique modo in sole siccatum v*lui* diligenter seruato. Cum autem hoc v*ti* volueris, partem vulnere duplo maiorem, inde præcisam instar cataplasmatis vulneri imponito, sanguinis effusio statim supprimetur, quod certo experimento in plurimis est comprobatum.

### C A P V T   X X X I X . P R A E C E P T A C O N T R A calorem & sitim.

**Q**UEMADMODVM frigus profici-scentibus obest, sic etiam calor, & ex hoc profecta sitis peregrinantibus molestias exhibet. Nam sitis ab humido deficiente aut calido superante fit. Cum enim nimij æstus noxa peregrinantes infestat, calor nimius semper excoquens corporibus firmitatem eripit, & humido naturali exigendo vires dissoluit.

Primum autem moneo, ne cum iter faciatis multum loquamini. Inde enim sitis

K fauci-

faucibus aridioribus contrahi solet. Ad caloris vim pellendam balneum aquæ frigidæ, etiamsi quis febrim aut capitis doloré intemperie contraxerit, prodest. Quā rationem etiam cerui sequuntur. Nam cum æstu immoderato vexantur, in frigidam sese immergunt. Alij coronas ex rosis, violis, nymphæ floribus, polygoni rāmulis, Adianti, vitis, myrti folijs, salicu virgulis, alijsq; refrigerantibus plantis capiti contra æstus iniurias imponunt.

Contra sitim ex calore prouenientem detineantur in ore Crystalli, coralli, argentum, saccarum candidum, aut filex, qui aliquandiu in frigida aqua fontana iacuit. Iulepus etiam rosarum & violarum cum aqua. Item radix glycyrrizæ recens e terra euulsa & manducata, siue ex aqua pota sitim sedat. Quemadmodum & vigiliz extinguit sitim à calore ortam, sic somnus ortam à siccitate. Frigida siue aqua mea odorifera, quam superius descripsi, etiam os colluere prodest. Fici recentes sitim leuant, caloremque refrigerant. Nuclei nucleus pineæ, portulacæ folium linguæ subditum, fraga, pyra, pruna, cerasa, malorum cydoniorum grana, lactucæ & cucumeris semina ad minuendam sitim sunt præstantissima. Perfusus aqua frigida panis &

nis, & cum vino sumtus contra sitim prodest. Vinum refrigeratur, si in aquam frigidam vna cum cantharo collocetur, panisque tostus in aquam fontanam frigidissimam immittatur, cui postea inde exempto vinum infundatur, illudque hoc modo bibatur, aqua interim saepius permutata. Hac consuetudine refrigerandi ego uti consueui. Nam salubris est, nihilque nocumenti adfert, veluti ea, quae nitro aut niue perficitur. Hac enim est violenta & propria naturae contraria & inimica, ut sanguina, ex quibus refrigeratio petitur.

## C A P V T X L.

P R A E C E P T A C O N T R A  
famem.

Peregrinationes & bella saepe hominem in inopiam rerum omnium coniiciunt, ita ut ingenti vehementi<sup>que</sup> fame laborandum sit. Quare non abs re fuerit pauca contra hanc subiungere. Fame igitur dominante omnium animalium iecur assatuum in penuria panis satiat magis. Item panis coctus ex amygdalis dulcibus & saccaro plurimum nutrit.

Panis quoque nauticus, siue biscoctus, eodem quod propter siccitatem situm minimè

K 2 contra-

contrahat, & diutius reliquo incorruptus seruetur. in hunc usum circumferendus est. Legimus quoque quendam ruinis ædificiorum obrutum, cum nullam vitæ spem reliquam haberet, septem dies noctesque, sola vrina epota famem ac fitim tolerasse. Auctio cenna globulos contra famem composuit, qui sunt conseruandi, ne solis calore colliquescant. REC. Amygdal. dulcium excor. libram unam. Adipis vaccini liquefacti libram dimidiam. Olei violarum uncias duas. Mucaginis rad. altheæ unciam unam. Terantur omnia simul in mortario, & fiant pilæ sicut globuli nucis instar Italicæ.

## C A P V T X L I .

## D E N A Y S E A M A R I N A .

**Q**UOD si versamini in mari, nolite prohibere vel impedire vomitum, verum si sit nimius & superfluuus, in potu paululum aquæ marinæ miscete, ut ita ventriculus vester paulatim mari assuescere discat.

Tostus etiam panis ex aceto comedusus contra vomitum valet, quemadmodum & multarum gallinarum ventriculi per ustionem in cinerem redacti, cum vino sumti in tali affectione stomacho non parum prouident.

Quidam

Quidam volunt ad hanc rem conduce-re, si quis aquam marinam siue salum ex naui intueatur, siue ex alto in mare despiciat.

## CAPVT XLII.

## DE HAVSTV AQVARVM.

**S**ED quoniam in expeditionibus & peregrinationibus multos aquarium tur-bidarum & limosarum vsu extinctos esse compertum est, omnino interdico vobis, ne aquam ex puteis vel stagnis haustā bibatis. Possunt enim hæ multifariam ab hostibus infici, vt plerūq; ab hostibus fit, cum alioqui etiam sordibus scateant.

Fontanam quidem aquam non omnino improbo, hac tamen conditione, vt cum exhausta est ex fonte, linteum nitidum in eam injiciatur, quod si id post duarum horarum spaciū nullas concipiet maculas, sine omni veneni suspicione bibi potest. Purgantur autem aquæ excolatione, cum ex uno vase in aliud transcolantur per arenam dulcis insipidiū soli, in colum siue facculum iniectam, aquæ prauitate in arc-na sic remanente.

Mala aqua etiam cum allio sumta, vel in-iecta theriaca minus nocet, cuius poste-

rioris usus in primis in expeditionibus est  
salutaris, ubi varia loca mutanda sunt.

Aqua limosa salis inspersione emenda-  
tur, turbida alumine clarificatur.

Lauri folia, pulegium, acetum permi-  
xtum olei vitrioli gutta una aut altera, fo-  
lia acetosae, cornu Monocerotis, Coralli-  
um contusum & iniectum in aquam: Hac  
omnia prauitatem eius emendant. Sed ut  
institutum de aquis sermonem absoluam,  
in casu suspicionis aquæ venenosæ, mihi  
satius esse videretur, de integro puteum  
effodere. Indicium autem vel signum aqua-  
rum subterranearum est nebulosa exhalat-  
io ante exortum solis, vel creber & spaci-  
ciosus iunci, vel arundinis prouentus.

## CAPVT XLIII.

DE E R V P T I O N E S A N-  
guinis ex naribus.

**C**V m Sol quoq; peregrinantibus san-  
guinem nimis subtilem & tenuem red-  
dat, eumq; ex naribus effluere faciat, rem  
non inutilem video r mihi facturus, si pau-  
cis de huius nimio fluxu reprimendo aga.

Priraum autem sciatis, quod si cui ve-  
strum sanguis sine lœsione s̄ape ex naribus  
profluit, in propinqua sanitatis parte hoc  
esse

esse numerandum. Si autem hæc eruptio est nimia & crebra, tunc poterit vitare cibos aromatibus conditos. Item allium, cœpas, porrum, raphanum & cætera. Mirifice autem sanguinem ex naribus promanantem reprimit stercus porcinum, si tepidum infarctum linteolo naribus admoveatur, cumq[ue] frigescit stercus, rursus illud excalefacere oportet. Sequens etiam cataplasma cum linteo canabino impositum sanguinem sistit.

R E C. bolum armenum & farinam volatilem molendinariam, & ex his cum albumine oui & aceto rosaceo confice cataplasma, illudq[ue] fronti & arterijs capitis applicato. Et si sanguis nondum reprimitur, linteolum aceto imbutum collo circumuoluto. Quinimo ad eundem etiam modum pudēda humectare poteris. Et quod si sanguis stillauerit ex nare dextro, cucurbitulam adhibebis iecinori, tanquam parti affectæ. Sin ex sinistro, in latere eam sinistro ex aduerso splenis applicabis.

Si verò neque hoc sanguinem retinebit, non inutile fuerit secta vena iecinoris sanguinem infrigidare, & naribus inspirari curabis puluerem compositum ex herba quæ dicitur gratia Dei, qui puluis mirificam sistendi sanguinis vim obtinet, etiam

ex vulneribus confluentem. Cauebis tamen ne nares purges vel mundifices antequam sanguini fluxus planè sit superfluu. Aliqui etiam vtuntur croco vel puluere fuliginoso molendinario, vna cum tela araneæ. Quinetiam ex astringentibus lignis, vt quercu, ilice, fago, cinis non parū astringit, ideoq; si forsitan nullum aliud remedium esset ad manus, sanguinis eruptio hoc modo cohiberi posset.

## CAPVT XLIIII.

PRAECEPTA ADVERSVS  
alui fluxum.

**N**ON NVNQVAM in profecionibus & bellis s̄epe ex copioso alui profluvio laboratur, ideo remedia hunc morbum curantia vobis quoq; minimè negligenda esse censeo.

In principio autem istius morbi nō lite statim medicamentis comprimendi facultate præditis, aluiq; fluxum sistentibus vti. Etenim obliuetari & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit. Sed potius candens siue ignitum aurum, vel chalybis laminas, in potu, quem hauriri estis, iterum atq; iterum extinguite.

Genitale etiam cerui siccatum & comminutum

minutum in puluerem, in dysenteria efficacissimum est remedium, quemadmodum & argillæ rudera ex clibano desumpta & decocta cum aqua, qua postea in potu vitaminis facultatem fistendi & astringendi alium præstant. In hunc usum conuenit etiam saccarum rosarium cum rubris corallis, visto ebore, electuarioq; ex cydonijs.

## CAPVT XLV.

CONTRA ARDOREM  
stomachi.

**N**ON rarò quoq; ardor siue astuatio stomachi pficiscentes infestare solet. Operæ preciū igitur visum est remedia huic morbo succurrentia breuiter obseruare.

Nonnulli contra hunc vtuntur Glycirus, carpionum atij lapides in ore detinent, vel olibani grana deglutiunt. Nonnulli contra hanc affectionem aquam calidam bibunt, aut lac tepidum vel cerasorum nucleos, aut panem ex acetō comedunt. Ego autem maxima ex parte hæc sequentia duo medicamenta adhibere soleo, quorū hoc à Daniele Rantzouio, serenissimi Daniæ regis Friderici II. in bello contra Suecos primario Duce, cognato meo didici, illud verò alioqui vñ compertum habeo.

K 5 Medi-

142 DE CONSERVAN.  
MEDICAMENTVM DANIE  
LIS RANTZOVII contra ar-  
dorem stomachi.

RE C. Vetus saccarum rosarum & la-  
pides cancrorum, quos contusos & in pul-  
uerem redactos saccaro rosarum insper-  
ge, adde paululum de bolo armeno. Mi-  
scere hæc omnia simul. Obseruetur tamen  
ut lapides cancrorum dimidiam saccari  
partem, quantitate sua adæquent.

ALIVD CONTRA ARDO-  
rem stomachi.

RE C. Sesquiunciam cretae.  
Tres nuces muscatas siue myristicas.  
Sesquiunciam saccari eleæissimi, quod ex  
insulis Canarijs aduehitur. Fiat puluis.  
Nunc aduersus arefactionem linguae,  
qui morbus etiam plerumq; castra sequi-  
tur, remedia quædam ascribam.

CAPVT XLVI.  
ADVERSVS AREFACTIO-  
nem linguae, quæ dicitur vulga-  
riter Brunella.

RE C. Nucleos Cydonei 2. aut corticé  
medianum tiliæ in aquam colloca, cui  
si addes cochlearium aceti rosacei, efficitur  
inde

inde limus vel succus : quo oris humiditas  
retinetur.

## A L I V D.

R E C. Syrupum acetosum simplicem  
cum aqua ex cremore ptisanæ præparata.  
Hac gargarizetur os , quod valet contra  
linguæ ariditatem.

## S Y R U P V S A C I D V S simplex.

Rec. Aquæ fontanæ siue rosaceæ lib. iiiij.  
Saccari lib. v. Coquatur in vase lapideo,  
aut potius terreo vitreato carbonibus ac-  
censis aut flamma exigua citra fumum,  
semper despumando ad dimidias. Deinde  
adijciantur aceti albi clari lib. duæ. Si au-  
tem valentissimum vis , libræ quatuor. Si  
viribus mediocre libræ tres , & percoque  
in syrapi consistentiam : Reconde in vase  
vitreo. Hic syrupus affectibus ac febribus  
maximè biliosis auxiliatur , quia bilem te-  
nuitate & caliditate furiosam frangit , re-  
tundit , & extinguit , adeoque sitim fedat.  
Humores quoq; crassos tenuat, incidit, ob-  
structiones tollit, vrinas mouet ac sudores.  
Putredini resistit , ob id pestilentibus fe-  
bribus est saluberrimus. Ego hoc syrupo  
valde delector , & vobis eius usum maximè  
commendo , quia non est ex venenatis  
compositus. Laudatur etiam ab Aristotele  
in libro

A L I V D.

Lardum purum porci castrati ad longitudinem dimidij digiti, & latitudinem duorum digitorum transuersorum linguæ & grōti impositum probè insere, ita ut linguam & fauces interiores penitus constringat. Hoc lardum inde non remoue, sed colliquescere sine. Aegrotus autem illud per suctionem attrahat, donec plane in hunc quorem resoluatur. Postea copiosum vomitum edet, tum caue ne suffocetur. Postmodo videbis adusti sanguinis copiam, & cutem tenacem per vomitum ejici. Utatur igitur ægrotus huiusmodi lardo secundum vice, & tandem conualefecet.

A L I V D contra idem.

Veloci & celeri cursu usq; ad defatigationem agitetur equus, donec præ nimio calore liquidus humor ex ore ipsi emanet. Haec spuma spongiæ in bacillum fixæ imponatur, eaque lingua & faucium partes remotiores, quo usq; fieri potest, iungantur per aliquot vices. Cauetur tamē ne spongia delapsa in collum descendat. Aegrotum comedere aut bibere voluerit, eliusetur os aqua prunellæ. Deinde aliquoties haec

hæc vngatio cum spuma predicta repetatur.  
Illud extra dubium morbo medebitur,  
quod experientia constat.

Cum etiam peregrinantibus ocreæ solent nonnunquam indurare digitos pedis, ita ut in callum intumescant, & duritiem quandam contrahant ( quod genus Germanicè Liefdorn appellatur ) sequens remedium eum in usum subiçere volui.

**R**ec. Cineres foliorum iuglandis combustorum, allium & seuum, misce simul & decrecente luna callum linteis probè conuole. Et hoc vnguentum bis aut ter imponere. Aliqui imponunt sterlus gallinaceum. Alij testudinem sale necant, & spuum. Alij prouenientem huiusmodi tuberculis illinunt. Contra verrucas manuum aliqui liquorem ex lignis quercinis ardentibus promanantem imponunt, alijs spumam maris.

## CAPVT XLVII.

### DE EBRIETATE.

**C**VM in expeditionibus & comuni vite inter homines conuersatione necessaria interdum conuiuijs amicorum interesse cogamini, pauca vobis de præseruanda & curanda ebrietate adijcere operæ precium

precium esse duxi, à definitionibus incipiens. Est ebrietas nihil aliud, quam perturbatio mentis & omnium actionum eius, ex immodico potu profecta, & voluntaria insania.

1. Ad hoc autem vitandum malum primac præcipua ratio est, parcè bibere, & non plus quam necessitas postulat.
2. Deinde à fortibus potibus abstinent, tenuiores cereuisias intermiscere & perdetentim bibere, non uno haustu omnia euacuare.
3. Inter pocula parum comedere. Nam cibus potum in ventriculo remoratur.
4. Sumere ante cibum pauxillum vini ab synthitis, aut 8. aut 9. amygdalas amaras, aut paululum lactis. Nonnulli deuorant lauri folia. Alij alia.

Africanus in suis commentariolis vult, quod qui caprinum pulmonem tostū ederit, ebrietatem non sentiet.

Ego semper in pectore gestare soleo magnum Amethystum, eò quod aliqui scribunt, eum valere contra ebrietatem, qui humores ad cerebrum ascendere non possunt, mihiq; videtur, eum non nihil praestare, vnicuiq; tamen suum permitto iudicium.

Omnia dulcia & ex saccaro confecta inter potandum sumta prohibent ebrietatem,

tem, quia non sinunt ascendere vapores, & frangunt vim vini eiusque saporem. Præsentissima curatio est vomitus aut alui pro-fluuium, secundum Hippocratem: Ex plenitudine enim quæcunque ægritudines accidunt, euacuatio sanat.

Vltimò somnus curat perfectè ebrietatem, qui protrahi debet tam diu, donec ructus aut oscitatio adest. Nam (teste Galeno) somnus concoquit, vigiliae digerunt. Non tamen vos illico post pocula cubitum conferte, sed vnam ad minus horam in cubiculo ambulate & vigilate.

Auicenna sequentem syrum præscribit contra ebrietatem, verum ego eius vires non sum expertus. Nam potius me amygdalis amaris, amethysto, dulcibus rebus, odoribus frigidis, ut rosis, violis, camphora præseruare soleo, si propter valetudinem vomitū ciere nolo, ut supra monui.

R E C. Succi alborum caulum,

Succi granatorum,

Aceti vini optimi ana vnciam vnam.

Ferueant ebullitionibus aliquot, & fiat syrum. Vos vti potestis ex prædictis, que naturæ vestræ maximè cōuenire animaduertitis. Hoc certò scio, inepti contraria naturam & nulli hominum ex usu esse. Propterea spero vos admonitionis meæ

memor

memores fore, & quantum communis vi-  
tae ratio patitur, hanc præsentissimam pe-  
stem fugituros, Deoque optimo maximo  
id prohibenti magis obtemperaturos,  
quam mortem sodalium & amicorum  
causa voluntate vestra acceleraturos.

## CAPVT XLVIII.

DESCRIPTIO N E S N O N  
nullorum medicamentorum & Anti-  
dotorum contra venena.

**H**A C T E N V S breuia quædam præce-  
pta, ad conseruationem sanitatis &  
diuturnitatem vitæ vtilia, qua potuimus  
breuitate enumerauimus: iam in fine me-  
dicamentorum quorundam cōtra venena-  
vim habentium descriptiones subijciemus.

Primò igitur omni cura iudicium cibo-  
rum appositorum habete, odoremque  
eorum, antequam in os immittatis, explo-  
rate, diuque lingua & dentibus tractate.  
Si enim cibus est venenosus, statim lœdit  
guttur. Deinde cauete, ne cibus sit pere-  
grini diuersique saporis, neque eum citò  
deglutite. Nulli enim citius atque gulosi  
veneno inficiuntur. Eam ob causam volo,  
ne quis vestrum maximè famelicus aut si-  
tibundus ad mensam accedat, ne auiditate  
cibi de-

cibi deceptus venenosam nesciat dignoscere materiam.

Afflitti autem veneni cura est, ut statim percepto nocimento prouocetur vomitus cum butyro & aqua calida, aut oleo tepido, siue etiam aqua tepida cum aceto. Postea bibatur lac aut butyrum, vel sumatur album stercus gallinaceum, assatum cum vino, quod etiam in huiusmodi casu vomitum ciet. Vomitus autem tam diu & quidem copiose continuandus est, donec nec sapor, nec odor, neque morsus, nausea aut illa anxietas percipiatur. Hoc enim ubi fit, indicium est adhuc venenum esse reliquum.

Post vomitionem sumenda est theriaca bona cum aqua plantaginis, scabiosæ, aut acetosæ, vel Mythridatum aut diamoschū. Aliquot grana etiam Iuniperi trita, & in potu data miro modo venenum expellunt. Allium & Raphanus hebetant vim venenorum, quemadmodum & Smaragdus, Achates, succinum & Corallium, & quæcunque appensa collo, manibusne mutantur, siue colorem naturalem amittunt.

Quidam ferunt Ambram, muscum vel lapidem bufonis gestantes à venenis tutos praestare. Alij contra eadem iejuno stomacho vrinam propriam, vel pueri non

L polluti

polluti recens emissam hauriunt. Nonnulli mirabilem contra venena efficaciam habere scribunt, si quis infectus veneno mulo aut equo exenterato, statim, dum adhuc feruet, inseratur, & capite prominente tam diu in eo iaceat, donec à vi veneni liberetur. Si unus non sufficiat, alter idem exenteretur. Hoc remedio Valentinus Gorgias Alexandri Sexti Pontificis filius aduersus venenum ysus euasit.

## CAPVT XLIX.

## DE PESTE.

**D**E Peste, quæ præsentissimum quoque est aëris venenum seu corruptio, pauca adderem, nisi plurimorum doctorum virorum multi de hac Medicæ facultatis particula varijs temporibus æditi libri extarent, quos consulere potestis, saltem mo-nebo Peste grassante, præsidium omnium Medicorum testimonio laudatissimum esse fugam arripere, solum cœlumque mutare, loca vitiosa & pestifera, huic contagiosæ lui obnoxia primo quoque tempore relinquere, & in hæc tardè redire, iuxta versiculum communem:

*Mox, longè, tarde, cede, recede, redi.*

Appendi collo etiam pro amuleto se-  
quens

quens sacculus potest, qui mirificè Pestis resistit gestatus, cordisque regioni appositus secundum Paracelsum: Fiat autem hoc modo.

**JACOBI CARPENSIS  
remedium.**

**R E C.** Arsenici albi crystallini partes siue vncias duas.

Rubei partem siue vnciam unam.

Fiat placenta rotunda crassitudine digiti cum albo ouo vel mucilagine Tragacanthi. Insuatur linteolo lineo, superadditio serico, & admoueatur cordi.

Nec opus est indusium interijci (nam et si arsenicū intrò sumtum sit lethiferum, nec etiam occulta vi, sed sola rosione, ut proinde venenum non sit dicendum) tamen adinotum extra venenis resistit certa experientia.

**POTERIT ETIAM SACCUS**  
lus pro corde conseruans & curans  
huiusmodi componi.

**R E C.** Saphyri, Smaragdi, Hyacinthi, Rubini, Corallorum tubeorum & alborum sing. drach. Croci tcrupulum.

L 2 Marga-

Margaritarum drachmam semis.

Arsenici albi drachmas duas.

Ambari grana sex.

Radicis Iridis siccæ & odoræ vnciam S.

Cornu ceruini vsti drachmam.

Auripigmenti vnciam S.

Terantur omnia, & fiat sacculus cum sindone purpurea, cordisque regioni apponatur. Nonnulli ad præseruandum propria vrina vtuntur.

Alij odore radicis Enulae Campanæ, aceto maceratae, aut Angelicæ, aut granis Juniperi vel Lauri. Multi non prodeunt in publicum nisi cibati.

Si quis tamen hac lue infectus fuerit expurgato, quam primum fieri possit, ventriculo, communibusque vijs, puluere sudatorio, non prius tamen quam naturæ propensionem ad sudorem cognouerit, & clystere vtatur. Deinde, Theriacam, Mythridatum, cæteraque remedia morbis pestiferis aduersantia adhibeat, ita tamen ne hæc remedia semel, ut fit, vel continue sumat, sed ter quaterque eodem die semper interuallo sex horarum interie<sup>et</sup>o. Si bubo fese ostendat, aut Carbunculus, sanguisugas non procul à loco affecto, si sit in membro ignobili, applicet, præstatbit tamen prius cucurbitulas amplas, & magnas

magnas cum multa flamma, vel gallum aut catulum, vel pulmones animalium subinde admouere: Ceterum inter initia pestiferi morbi antequam pharmaca sumserit, somnum fugiat, eique nullo modo indulgeat, ne veneni vis aut pestilentiae virus, vna cum sanguine membra principalia inuadens protinus interficiat, ceteraque membra confortantia adhibeat, & quantum fieri potest, cibis ventriculo suo maximè congruentibus se reficiat, Deoque vitam suam & omnia reliqua ardentibus precibus commenderet, nec non Medici periti consilio reliqua committat, ut diuina sua clementia gratiaque ille, hic verò arte sua ipsi succurrere velit.

Præmissis his in genere de Venenis & Peste, sequuntur ordine nonnulla Antidotæ.

M E D I C A M E N T U M R E G I S  
Mythridatis aduersus omne Venenum  
& præcipue Pestiferum.

Plinius lib. 23. cap. 8. scribit, Cn. Pompeium in sanctuarijs Mythridatis maximi Regis deuicti inuenisse in peculiari commentario ipsius manu conscripto compo-

sitionem Antidotū è duabus nucibus siccis. Item ficubus totidem & rutæ folijs vi-ginti simul tritis, addito salis grano, & ei, qui hoc iejunus sumat, nullum venenum nocitum illo die.

I D E M A N T I D O T U M   S T R  
am hoc modo conficitur.

R E C. Nucum iuglandium siccaram  
vncias sex.

Ficuum siccaram vncias 4.

Foliorum rutæ siccæ semiunciam.

Salis drachmas duas.

Omnia hæc in minutæ partes consciſa  
aqua rosarum imbuantur, neque, ut qui-  
dam volunt, terantur. Aliqui hæc miscent  
succo acetosæ aut aceto rosaceo. Nonnul-  
li addunt etiam semiunciam granorum  
Juniperi. Hoc antidotum iejuno stomacho  
sumatur ad quantitatē nucis castaneæ,  
estq[ue] aduersus venenum præseruatium.

E X P E R I M E N T U M M E D I C I  
antiquioris Regis Angliæ, estq[ue] pul-  
uis mirabilis contra toxicum  
& omne venenum.

R E C. Pimpinellæ,

Radicis

Radicis tormentillæ,  
Cinamomi ana vnciam dimidiā.  
Ligni aloës, granorum Iuniperi,  
Zinziberis ana drachmam vnam.  
Interdum additur Cardui benedicti, radi-  
cis Angelicæ, ana drach. dimidia.  
Fiat ex his omnibus puluis subtilis, &  
occlusus in pixide vsui bene seruetur.

**A L I V D E L E C T V A R I V M**  
præseruatium contra Pestem & alios  
morbos D. Prisciani de Corduba,  
Medici Leonis Pontificis  
decimi.

Rec. Cinamomi eleæti drach. dimid.  
Zedoariæ drachmam vnam.  
Boli armeni præparati drachmas tres.  
Camphoræ grana septem.  
Seminis Citri excoriati,  
Acetosæ,  
Corticis Citri ana drachmam vnam & di-  
midiam.  
Radicis Diptami, tormentillæ,  
Pimpinellæ drachmam dimidiā.  
Rasuræ eboris,  
Ossis de corde cerui drachmam vnam.  
Auri & argenti præparati ana scrupulū  
dimidiū.

Fragmentorum Saphyri,

Rubini, Smaragdi,

Granati ana scrupulum vnum.

Misce, fiat puluis, cui adde conseru  
rosarum, acetosæ, buglossæ, ana drachmas  
duas. Saccari albi libram vnam, dissoluti  
in aqua Buglossæ & Endiuiæ, & fiat Ele-  
ctuarium.

**M O D U S V T E N D I** H O C  
• collis præseruatio contra Pestem  
• talis est.

Pars magnitudinis duarum fabarum  
cultello accepta comedatur: Incenso verò  
iam Peste semiuncia cum vino acetosæ de-  
tur omni die. Contra pleurisin semiuncia  
cum accōmodato iuscule, succo, vel aqua  
bene diluta detur laboranti. Ego autem  
huic electuario nonnunquam addere so-  
leo vngulæ Alcinæ, cornū bestiæ vnicor-  
nis siue monocerotis & succini ana drach-  
mam vnam.

### C A P V T L.

D E S C R I P T I O S T I B I I P R A E-  
parati & de eius usu.

**N**O N N Y L L I vtuntur Stibij præpa-  
rati

rati secundum Matthioli traditionem granis tribus tritis & puluerizatis cum saccaro albo aut saccaro rosarum contra Pestem & Venenum. Stibij etiam usus contra varia & diuersa morborum genera esse perhibetur. Educt per vomitum, deinde per secessum, sed tamen leniter, quod ipse expertus sum, alijsque exhibui. Scribunt nonnulli stibiu vix alium humorem quam eum, qui noxius est, aggredi, & partem ferre corporis affectam, siue propinquam, siue remotam petere, aduersus epotum venenum, aduersus ipsam Pestem nihil esse praesentius, curare capitis dolores antiquos, catharros, ventriculi dolorem & eiusdem imbecillitatem ab humorum copia & malignitate ortam, hydropem, Asthma, Paralysin, Epilepsiam, quartanam denique tollere, cumque morbus nullus, ne Pestis quidem ipsa quempiam inuadat, nisi qui ob vicium aliquod interius, exteriorius impactum noxae suscipienda fuerit oportunus, esse hoc medicamentum, non modo ad praesentes morbos propulsandos, sed etiam ad imminentes arcendos idoneum, & stibio corpus humanum non aliter quam aurum ipsum Antimonio purgari. Ego stibium preparatum ubiqz locorum in promtu habeo.

**E X H I B E N D I M O D U S N O<sup>o</sup>**  
uus & magis tutus.

Sume stibij ad puluerem tenuissimum  
triti tot grana, quot alicui vis exhibere,  
affunde eis mediocrem vini haustum, va-  
sis orificio probè cooperto, in quo per  
noctem remanebit. Sequenti verò die vi-  
num leniter, rursus ex vase effunde, illud  
que iejuno ventriculo bibe. Hoc non adeò  
periculosum est, neque tantos dolores ex-  
citat, quam si ipsa substantia stibij sumatur.

**A L I V D R E M E D I V U C O N-**  
tra periculosos & pestiferos mor-  
bos puerorum.

Nostræ matronæ pueris, si malè habere  
cœperint, solent exhibere paululum ossis  
de corde cerui.

Ossis bestiæ unicornis.

Corallorum rubeorum.

Succini albi.

Margaritarum.

Ramentorum auri.

Vngulæ alcine æquali portione. Hæc o-  
mnia in mortario contrita miscent simul  
in morbis calidis cum aqua rosacea, in tri-  
gidis verò cum aqua Lauendulæ. Exhibe-  
tur autem ad mensuram cochlearij.

CAP.

## CAPVT LI.

ANTIDOTVS SAXONICA  
contra Venenum.

ET si præmissa medicamenta venenis aduersentur maximè: tamen contra vim omnium venenorū ferme, maximū præstat vsum Antidotus Saxonica, quæ apud Illustrissimum Electorem Augustum Saxoniæ Ducem, non ita pridem inclruit, ostentationibus prodigiosis ferè ctiusdam rustici, qui deuoratis serpentibus varijs, quotiescumque specimen de antidoti viribus edere voluit, huius beneficio ab omni læsione vindicatus semper euasit: donatus tandem ab Electore honesto & liberali præmio, ea conditione, vt potro, præter Electorem compositionis rationem doceret neminem. Solis enim Principibus Elector dignam rebatur auxiliū tam præsentis cognitionem, præsertim cum ipsa vtendi necessitas in ipsos facilius Principes ac illustres viros, quam vulgares homines & plebeios incidat.

Huius antidoti vires, vt serenissimus Daniae Rex Christianus piæ memoriarum exploraret, quondam Haffniæ homicidæ cuidam, supplicio capitis necando vene-

num

num iussit exhiberi lethiferum, nempe Mercurium sublimatum, eumque copiosum, hac conditione, ut si beneficio huius pulueris minime moreretur, Rex donaret eum vita. Quod factum est, ita ut putem, cum hic puluis huiusmodi venenum vice rit, facile eum quoq; omne yeneni genus superare posse. Ego non ita pridem ab illustrissimi Electoris coniuge per literas obnixè petieram, vt rationem componendi hunc puluerem ad me perscriberet, verum responsum non accepi, pulueris tamen satis magnam transmisit copiam, cuius partem aliquam in myropolio meo inueniendam vobis relinqu. Aliqui scribunt, vt Gesnerus, Moybanum secutus, Electorem Saxoniae Duci Virtebergensi, rationem huius pulueris conficiendi transmissee, eumque puluerem his radicibus constare.

N O M I N A S I M P L I C I V M  
ex quibus hic puluis conficitur.

1. Radicum Valerianæ semiunciam, Germanicè Baldrianwurzel oder Thertia, fraut, Latinè etiam theriacaria, Græcè φοῦ.

2. Vrti-

2. Virticæ minoris, Heiss-  
terneßel/ ana vnciam.
3. Viacetoxici, id est, / vnam.  
hyrundinariæ,
- quæ Germanicè dicitur überwindung  
des gifts/ oder Schwalbenkraut wurzel/  
Gallicè domte venin.
4. Polypodij quercini, En-  
gelsußwurzel.
5. Althæ, Ibischwurzel/ aliæ Ibiscus dicitur,  
Olus Iudaicum vel Bis-  
malua,
6. Angelicæ sylvestris,
7. Angelicæ satiæ recentis vnc. quatuor.
8. Corticum radicum Laureolæ, German.  
Kellershals / vnciam vnam S.
9. Fructus seu baccæ herbæ, quæ paris di-  
citur, id est, vierfingrig nachschatten/vel  
nachschatten mit vier blättern.
10. Acetum acerrimum.

Radices omnes effodiendæ sunt eo tem-  
pore, quod inter 15. Augosti & 8. Septem-  
bris intercedit, quamvis aliqui tardius ef-  
foderint, & efficacem tamen experti sint  
antidotum. Deinde incisæ reponantur in  
ollam vitreatam affuso aceto acerrimo,  
quod duob. digitis radices excedat. Tum  
olla operculo clausa, rimæ omnes albo  
oui

oui cum farina subacto diligenter oblinian-  
tur, & sic in illa ad lentum ignem leuiter o-  
mnia bulliant, postea olla aperta , abiecio  
quod redundat aceto , ( nisi ex illo forte  
syrupum adiecto meile ad alios usus com-  
modum parare libeat ) radices exiccen-  
tur, quoad fieri potest. Deinde contritis  
omnibus addantur acini herbae paris di-  
ctæ ( nos Solanum tetraphyllum vocamus)  
numero viginti sex , & fiat puluis , cuius  
drachma una ē vino albo propinetur. Do-  
sis huius pulueris est scrupuli duo , vel  
drachmæ dimidium adultis & senibus.  
Alijs enim minor dosis sufficiet videlicet  
scrupulorum duorum.

Videtur hæc antidotus non aduersus or-  
omnia venena solūm , sed alios quoque af-  
fectus vtilis futura, Icterum præsertim, ca-  
chexiam , disponeam vel Asthma , Splen-  
nis obstrunctionem, retentionem mensium  
& calculos renum , quartanam , aliaque  
huiusmodi , vbi frigidos , crassos & visco-  
fos humores causantur : præsentissimum  
quoque remedium est contra Pestem &  
contra eandem præseruatium.

Sunt & aliæ huius pulueris descrip-  
tiones , quas lubens prætereo , tantum unam  
subijcio , quam à Berlepsio Illustrissimi  
Principis Electoris consiliario didici , qua-  
mox sequitur.

Anti-

**ANTIDOTVS SAXONICA,**  
contra omnis generis venena  
efficacissima.

**R E C.** Valerianæ vnciam vnam cum  
duabus drachmis, id est, Waldrian-  
wurzel.

Hyrundinariæ, id est, Schwalbenwurzel/  
vnciam vnam.

Polypodiij quercini, id est, Steinwurzel/  
sesquiunciam.

Angelicæ satiæ,  
Smyrnij, Meister, } ana vncias duas.  
wurzel/

Altheæ, Eibischwurzel/ vnciam vnam.

Corticum radicum Laureolæ sesquiunc.

Radices effodiantur tempore, quo supra  
dictum est: Deinde incisæ in nouam ollam  
testaceam vitream immittantur acerrimo  
infuso acetō, ita ut ad latitudinem duo-  
rum digitorum radices excedat. Deinde  
olla operculo probè coniecta farina sub-  
acta oblinetur, ne vapor exhalare aut alio-  
qui aura ingredi possit. Hæc ita ad spa-  
cium dimidiæ horæ bulliant, posteaque  
ab igne sublata infringidentur. At ubi iam  
probè infringidata fuerint, abiecto acetō  
radicibus adijce xii. acinos herbæ, quæ  
dicitur Paris, & singulis acinis tria folia ex  
cauliculo

cauliculo herbae prædictæ adde. Hæc ita supra fornacem vel aëri exposita probœ siccato in loco aliquo radijs solaribus mi- nimè peruio. Deinde omnia in puluerem tenuissimum comminuta, per cribrum setaceum transmittito, cumq; opus fuerit ad pondus vnius drachmæ exhibeto. Hic puluis vim habet insignem contra Pestem & Venena, aliaque morborum genera, quorum superius mentio facta est.

ANTIDOTVS NICOMEDIS  
regis contra Venena.

Rec. Baccarum Juniperi drachmas ij.  
Terræ Lemniæ drachmas duas, & obulos totidem. Hæc vbi in puluerem redegeris, oleo aut melle commiscebis, reponesque, atq; cum opus fuerit, ex aquæ mulsa Cyathis duobus in magnitudinem auellanæ dabis.

CAPVT LIII.

HOC LOCO PLACVIT  
etiam adiçere medicamentum Regis Da-  
niæ, Christiani III. contra morbum  
caducum, & syrupum S. Ambrosij  
in febre tertiana utilem.

R E C.

**R**ECIP CRANUM SUE CALUARIAM HOMINIS PRÆSERTIM FURIS SUSPensi, nulliusq; morbi interuentu mortui (nam huic plus efficacix, quam reliquis tribuunt) hanc caluariam in craticula tostam ad puluerem redigo. Deinde accipito tria grana Pœoniæ, atque hæc cum una drachma prædicti pulueris, & aqua Lauendulæ ad quantitatem vnius cochlearis ægrotō tempore matutino exhibeto. Postero & tertio die fac idem. Sumet autem ægrotus hunc puluerem ieuno stomacho, ac tres continuos dies se domi continebit, pauco potu & eibis leuis ac facilis digestionis vtetur, ut sunt oua. Non abs re etiam fuerit, vt ægrotus postea singulis diebus manè per aliquod tempus cochlear aquæ Lauendulæ exhauriat. Os bestiæ unicornis etiam contra hoc morbi genus conducit.

C A P V T L I I I .

S X R V P V S S. A M B R O S I I  
prouocans sudorem & fitim extinguens,  
quod Mediolanenses adhuc utuntur,  
utilis in febrib. tertian.

**R**E C I P E Milij excorticati quantita-  
tem conuenientem, decoquatur donec  
crepet: Deinde recipe vncias quinque vel  
M      circa-

circa eius iusculi ebullientis : & infunde  
vini albi odoriferi vncias duas , & sic cali-  
dum da patienti , ac bene cum cooperias,  
tunc mirum in modum sudabit.

Perstrinxi iam ferè breuiter singula, quæ  
ad retinendam sanitatem & cauendos  
morbos vobis significanda esse iudicauit:  
Cum autem Cornelius Celsus Medicorum  
Romanorum Princeps , eadem ferè mira  
breuitate tractet , non possum non vos ad  
lectionem eius authoris vehementer ad-  
hortari. Quapropter etiam integrum ferè  
capitulum primum libri primi huc asscri-  
bere , & tanquam epilogum addere pla-  
cuit.

## CAPVT LV.

Q V E M A D M O D U M S A N O S  
agere conueniat, capitulum 1. Cor-  
nelij Celsi.

**S**ANVS homo, qui & bene valet & suæ  
spontis est, nullis obligare se legibus  
debet. Hunc oportet varium habere vite  
genus , modò ruri esse , modò in urbe,  
sæpiusque in agro, nauigari, venari, quie-  
scere interdum, sed frequentius se exer-  
cere , siquidem ignavia corpus hebetat,  
labor firmat , illa maturam senectutem,

hic

hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti, modò vngi, modò ipsum negligere, nullum cibi genus fuge-re, quo populus vtatur, interdum in con-  
uiuio esse, interdum ab eo se retrahere,  
modò plus iusto, modò non amplius as-  
sumere, bis die potius quam semel cibum  
capere, & semper quāplurimum dum-  
modo hunc concoquat, intermissus pro-  
pter ciuiles aliquas necessitates ordo ex-  
ercitationis corpus afflit. Concubitus  
verò neque nimis concupiscendus, neque  
nimis pertimescendus est, rarus corpus  
excitat, frequens soluit. Cum autem fre-  
quens sit non numero, sed natura, ratio-  
ne ætatis & corporis, scire licet, eum non  
inutilem esse, quem corporis neque lan-  
guor, neque dolor sequitur. Idem inter-  
diu peior est, noctu tutior: Ita tamen si  
neque illum cibus, neque hunc cum vigi-  
lia labor statim sequitur. Hæc firmis ser-  
uanda sunt, cauendumque, ne in secunda  
valetudine aduersa præsidia consumantur.  
Hæc ille.

## CAPUT LVI.

## CONCLUSIO.

M 2 Postquam

**P**O ST Q V A M nunc ò filij carissimi  
 recensui, quæ profutura vobis ex alijs  
 partim collegi, partim ipse experientia  
 edoctus animaduerti ( præscribere vero  
 facienda vniuersa nō magis possum, quam  
 præscire omnia euentura ) vestri crit offi-  
 cij hæc præcepta , tanquam per manus à  
 maioribus tradita , studiose amplexari,  
 memoriique mente seruare. Inter cætera  
 autem hoc non extreum præceptum  
 esse arbitror , summo studio eniti, vt quæ  
 quis ex quotidiano rerum vsu expedire si-  
 bi cognouerit , eorum successum summo-  
 pere promoueat , eaque ad felicem exi-  
 tum perducat. Quod si vero ò filij abne-  
 gata omni impietate , sobrietè , iusteque &  
 piè viuentes , Deum reuerenter colueritis,  
 magistratus , parentes , præceptoresque  
 vestros obseruaueritis , & in omni vita , in  
 aëre & motu reliquisque affectibus mo-  
 derationem & temperantiam , iuxta ra-  
 tionem præfinitam & præscriptam adhi-  
 bueritis , periculososq; casus ( citra tamen  
 famæ vestræ iacturam ) fugeritis , nequa-  
 quam dubito , quin ad grandæuam sene-  
 citatem vitam commode producturi sitis  
 ac filios filiorum visuri. Denique hic la-  
 bor , hæc vnica vobis cura fit , primū  
 Dei optimi maximi , deinde hominum  
 gratiam

gratiam & fauorem, honores diuitiasque  
 lucrari & sanitatem conseruare. Quod ut  
 mihi vobisq; D e v s a t e r n u s , qui cu-  
 ncta superna & inferna liberè, pro iusto di-  
 uinæ suæ maiestatis arbitrio moderatur,  
 & regit, benignè clementerq; largiatur,  
 hactenus assiduis serijsq; precibus ab  
 eo contendi, & etiamnum con-  
 tendo, totoq; ex ani-  
 mo precor.

F I N I S.

L I P S I A E,  
 IMPRIMEBAT IOHANNES  
 STEINMAN.

Anno

---

M. D. L X X X I I .

卷之三

五言律詩

送人游蜀

王昌齡

城邊柳色曉青青，  
送客西行路遠長。  
不識遠山何處在，  
但見峨眉雪未晴。

送人歸蜀

王昌齡

蜀道難，難於攀，  
但見峨眉雪未晴。  
不識遠山何處在，  
但見城邊柳色青。

送人遊蜀

王昌齡

送客西行路遠長，  
城邊柳色曉青青。  
但見峨眉雪未晴，  
不識遠山何處在。

送人歸蜀

王昌齡

但見峨眉雪未晴，  
不識遠山何處在。  
城邊柳色曉青青，  
送客西行路遠長。

